

ANTISANDERUS

DVOS CONTINENS DIALOGOS NON ITA PRIDEM INTER VIROS quosdam doctos Venetijs habitos:

In quibus variæ Nicholaj Sanderi, aliorumque *Romanensium* calumniæ in hæc Anglorum ab excusso Pontifice tempora vaferrimè confictæ, licèt obitèr & fortuitò, verè tamen candidèque refelluntur.



Psal. 5. *Quoniàm non est in ore eorum veritas, cor eorum vanum: sepulchrum patens guttur eorum, linguis suis dolosè agebant, Iudica illos Deus.*



EXCVSVM CANTABRIGIAE cum consensu Primariorum hominum quorum *authoritas chartâ Regiâ ad hoc requiritur.*

MD.XCIII.



VIRO ILLVSTRISsimo, honorificoq́ Domino suo THOMAE SACVILO Baroni Buckhurstiæ, splendidissimi Garterij ordinis Equiti, Reginæq; Majestatis consiliario dignissimo, perpetuam optat fælicitatem,

A. L.



NCIDI nupèr (Illustrissime SACVILE) *in Dialogum, meo judicio, non invenustum, quem Italicè Venetijs habitum Catholicus quidam Anglus (sic enim Papistæ se nominari volunt) illic degens fecit latinum, & ad amicum aliquem suum* Rhemas *misit. Mirarer certè hominem in re cunctis* Rhemensibus *tàm ingratâ & odiosâ tantoperè desudare voluisse, nisi hâc mente se fecisse prodidisset, ut certiores illi redderentur eorum, quæ disciplinam suam oppugnant, atq; ità in quamcunq; decertandi occasionem tantò diligentiùs se componerent.*

Illi igitur tàm provido consilio, tantâq; opportunitate fruantur: ego interim, (quòd ad manus meas quodam fortunæ beneficio hic dialogus sic delatus fuerit) vel Reginæ nostræ serenissimæ, vel patriæ dulcissimæ

 nihil

nihil gratius me facturum existimavi, quàm si exemplum ejus describendum, & in Angliam ad amicum quendam meum celerrimè mittendum curarem, qui (si publica authoritas patiatur,) eundem typis donare, & in lucem meridianam emittere possit. Hoc ille si fecerit, summis ab honore tuo precibus contendo, ut tàm ejus quàm meam operam favore tuo protegas, & defendas. Perpulchram candidissimæ, mitissimæ, innocentissimæ ELIZABETH*æ nostræ defensionem continet contra impurissimorum eorum perfugarum calumnias, qui Pontificiâ religione se nunquàm satis immersos putant, donec impietatis suæ adversus nostram Rempub. & Reginam insigne aliquod publicumq́; deaerint testimonium. Tu verò cùm sis Reginæ nostræ consanguineus, officij tamen pietate, quàm sanguinis conjunctione multò propiùs eam accedis: & illâ meritò es apud omnes eruditionis sapientiæq́; existimatione, ut unicum judicium tuum hoc opus tàm nostris, quà exteris universis commendare cumulatè sufficiat.*

Theses certè, quæ istic tractantur, non solùm luce dignæ sunt, sed eam summoperè flagitant. Nam in his transmarinis partibus libri multi impudentissimi quotidiè excuduntur, omniumq́; manibus teruntur, (nescio etiam an aliqui Britanniam *ipsam irrepant) qui splendidissimæ Reginæ nostræ famam & existimationem sic contumelijs afficiunt, ut etiam aliquo modo eam conficere, & apud exteros principes despicatam reddere videantur. Atq́; igitur ut nullos alios fructus hoc nostrum officium procreet: nostratibus tamen sui desidiā in mentē fortè rediget, & eos faciet deinceps æq́; promptos ad dignitatē Reip. & principis propugnandā,*

atq́;

atq; inimici se hactenùs præbuerunt ad eandem convellendam. Laudem hanc, cum intellegant quàm eximia sit, tàm exteris quàm Anglis etiam peregrinantibus invidebunt, nec sibi tanto ocio domi diffluentibus præripi patientur. Sic autem non solùm hominum istorum pessimorum audacia in posterum cohibebitur, sed etiam exteri amici nostri, qui hactenùs libros tanto supercilio editos omni veritate carere non posse fortè suspicantur, habebunt undè & sibi ipsis satisfaciant, & malitiosis obtrectatoribus aliquid respondeant.

Nonnulli apud nos, & illi quidem viri prudentissimi, hoc errore implicantur, vt impurissimis horum mendacijs silentio respondendum existiment, satisq; esse, si talibus libris tantùm aditus in Angliam precludatur. Sed ij si hic essent, (quemadmodum est apud comicum) aliter sentient. Nam qui eos conscribunt, magnâ sunt hìc apud omnes autoritate, suamq; nequitiam tam specioso sanctitatis fuco colorant, vt nihil unquàm loqui, multò minùs literis mandare putentur, quod locupletissimis testimonijs consignatum non habent. Cum ergò à nemine coarguantur, necessum est, vt hæc tempora res nostras condemnent, & multò magis quæ futura sunt secula earum memoriam infestissimo odio prosequantur. Frigidum hoc & insulsum stratagema est eorum hominum, quorum neq; dogmata nec actiones lucem ferunt, quiq; tormentis & equuleis omnes ad suas opiniones pertrahunt, non rationum momentis ducunt.

Nos ergò, nisi nostræ innocentiæ diffidere videri etiam cupiamus, non tàm excludere tales libros, quàm auidè circumspicere debemus, & refutatos celerimè remittere.

Imò verò cùm Cerberi isti multicipites vniversum ter-

terrarum orbem fœdissimis suis latratibus oppleant, ut Amazones *ad nuptias non admittebantur, nisi hoste aliquo priùs interempto: sic ego nec nostros Academicos ad dignitatem aliquam promovendos iudicarem, donec horum gladiatorum aliquem in arenâ supinum consternerent. Sic enim fieret, ut adversarijs licet impudentissimis ipse pudor silentium tandem imponeret, ut doctorum hominum ingenia, quæ nunc desidiâ apud nos torpent, quotidiè magis exacuerentur, ut indocti cathedrarum earum aspectum exhorrescerent, quas nunc aliqui indignissimè tanto cum fastu possident.*

Sed en Phormionem delirum, nec tamen senem, coràm Hannibale! *Quin potiùs ipsorum iudicijs hæc relinquam consideranda, qui nostræ Reipub. clavum tenent. Reprimam ergò me. Tu, si quid deliquerim, pro summâ tuâ clementiâ, mihi obsecro ignoscas, voluntatem æqui consulas, & patrocinium mearum fortunarum dudum honorificè susceptum pari benignitate tueare. Dignitatem tuam* Deus Opt. Max. *tibi integram & illibatam, te suæ Ecclesiæ, nostræq; Reipub. incolumem diutissimè conservet.* Aureliæ *octavo calen. Maij. Anno.* 1593.

Honoris tui observantissimus

A. L.



TYPOGRAPHVS
LECTORI.



EN opus (amice lector) summâ curâ diligentiâque elaboratum; quod gratum tibi fore speramus, gratum Reipublicæ, jucundum omnibus, qui aut curant scire res nostras præteritas aut favent præsentibus. Sed ne mireris *Cantabrigiæ* editum sermonem illum, qui *Venetijs* sit habitus, aut vnde ad nos delatum fuerit, quod tàm longè sit actum: huiusce rei casus, epistola præcedens te certiorem fecit. Ille verò nobis, vti ipse etiam testatur, ne nos finxisse videamur, exemplum Aureliâ transmisit, & pro nostra necessitudine, atque amicitia, summopere tradidit & commendavit. Nos qui quidvis libentèr amici gratiâ, quod æquum bonumque esset, non solùm rogati, sed etiam nostra sponte faceremus, continuò (obvijs quod aiunt ulnis) vt par erat, amplexi sumus tantum munus ab amico profectum. Perlecto autem libro, & cognitâ rei dignitate, animus accessit, vt inquit Comicus, quo magis (id quod ille voluit) edere liberet: Præsertim cùm eum crederem ideò magis commendasse, quòd sciret, pro fide mihi non ita pridem cum alio cõmissa, nihil esse cũ officio nostro conjunctius, nihil ad famam atq; ad existimationem præclarius, quàm rem tantam tamque insignem, primo quoq; tempore in lucem emittere.

tere. Negotium itaq; suscepi non solùm amici rogatu, cujus voluntas atq; autoritas plurimum apud me valuit, neq; privato officio ductus, sed Reipub. causâ magis, & communi patriæ charitate, quæ penitùs hæret in omnium sensibus infixa. Idq; à me deberi illis à quibus hoc munus acceperam, deberi bonis omnibus existimabam, quibus hujusce causæ tractationem satis certò scimus fore gratissimam. Cæteri qui in hoc genere quotidie eduntur libri, pro religione pugnant fęliciter propagata, multisq; jam Annis corroborata: Quę hìc disseruntur, primordia instauratę religionis adeunt, incunabula tutantur, Parentem defendunt. Nutricem ejus serenìssimam, lumen orbis terrarum, à perditissimorum hominum maledictis vindicant. Hoc tamen tam magnum tamq; præclarum opus non statim divulgare ausi sumus, nisi priùs viris aliquot principibus factis auctoribus, & nostrum consilium approbantibus. Sed cùm proles hæc quasi Parente suo orbata ἀνώνυμος esset: nos eam (amice lector) quo visum est, & quem vides, titulo ornavimus. Hoc etiam tibi probatum iri confidimus. Vale.



DIALOGVS. I.



PRISCAM humanitatem tuam (amantissime B.) novis officijs quotidiè cumulas. Cùm igitur facultates nostræ meritis tuis multùm sint impares, ad evitandam ingrati animi labem, cogor voluntatem meam quàm possum optimè testatam tibi reddere. Ex illo *Sanderi* libro de *schismate Anglicano*, quem nuntius tuus mihi non ita pridem attulit, fructum percepi jucundissimum, neque tamen tàm ipsum legendo, quàm cum alijs communicando. Est quidam hujus civitatis vir magnificus, non tamen tàm generis nobilitate splendidus, quàm virtute ornatus, omniq; doctrinarum varietate politus, qui propter operam suam præcipuam antiquitatis & civilis prudentiæ studio impensam, non solùm in suæ Reipublicæ cognitione omnes facilè superat, sed exterarum etiam quarumcunque nationum disciplinas atque mores perfectè tenet. Ità ut non unius civitatis, sed (ut olim *Socrates* ille) totius terrarum orbis civis esse videatur. Hujus summæ bonitati quòd senserim me à primo meo in hunc locum appulsu fuisse devinctissimum, non existimavi me gratiorem tanto amori mercedem unquam persoluturum, quàm librum istum impertiendo, qui nostrorum ab *Henrico* septimo temporum absolutam ferè & accuratam historiam pollicetur. Hâc autem occasione contigit, ut ego

 non

non solùm discerem opinionem hominum aliquot disertissimorum, de illis *Henrici* octavi cum *Katharinâ Ferdinandi Hispani* filiâ nuptijs, sed etiam intelligerem, nostrates ELIZABETHAE suæ (in quam quarta pars ejus libri paulò asperiùs invehitur) mores & res gestas quàm strenuè propugnant. Hic eorum sermo vel tuo vel reliquorum apud vos Catholicorum palato non ità suavitèr forsan arridebit, quià suspectior est: cum officio tamen nostro conjunctissimum putavi vobis eum repetere, ut justa atque matura tantarum rerum deliberatio possit vobis opportunitatem præbere non solùm vos ipsos contrà inimicorum aculeos fortiùs muniendi, sed νεόφυλας vestros (quos multos habetis) contrà astutas clandestinorum seductorum illecebras tantò diligentiùs confirmandi. Quò meliùs ergò consequar quod institui, singula sic referam, quemadmodùm ab ipsis prolata sunt, tantùm nomina eorum reticebo, nè forsan compotorem nimis memorem se habuisse conquerantur, & singulos solâ professionis suæ notâ designabo. De nostro nihil addidimus, tantùm quæ illi benè suâ linguâ, nos latinâ non ità forsan benè depinximus. Sed cùm tu hunc librum multis tùm *Anglis* tùm *Gallis* ostensurus fortè sis, eam linguam illi aptissimam judicavi, quæ hominibus cujuscunque nationis literatis est usitatissima. Testimonia etiam, quæ tàm integrè inter disserendum allegari non potuerunt, partìm ab ipsis posteà accepta, partìm à fontibus undè hauserunt derivata, pleniùs perfectiusq; descripsi. Quædam prolixiora, quàm ut dialogo commodè interseri potuerint, in finem operis tibi pro arbitrio tuo conspicienda reservavi.

ſervavi. Quæ noſtra opera, maximoperè cupio, ut tibi grata eſſe poſsit, ſiquidem nihil mihi ſit antiquiùs, quàm ab illis, quibus aliquid debeo, vel optimè promereri.

Non ante multos dies igitur in duos *Anglos* hîc incidi, quos è patriâ noſtrâ non conſcientiæ ardor, quod mallem, ſed quod ſæpiùs fit, terrenæ prudentiæ deſiderium ad has oras attulerat. Quod autèm alter eorum literis humanioribus laudabilitèr videbatur inſtructus, alter non leves in jure civili progreſſus feciſſe, volui utrumque ad nobilem illum perducere, neq; tamen ut his tàm gratificarer, quàm illi præberem occaſionem ab eis perquirendi quod vellet, tùm de *Britanniæ* noſtræ præſenti ſtatu, tùm de rebus illis, quas inter tàm longè lateq; peregrinandum obſervaſſent. Non citiùs ad ædes pervenimus, foreſq; pulſavimus, quàm venit ſtator quidam ejus, qui me ſatis familiaritèr cognitum ſalutavit, ſequiq; rogavit in porticum quandam auguſtiorem, ubi herum cum duobus viris habitu graviſsimis videmus colloquentem, quorum alterum juris pontificij, alterum Theologiæ doctorem eſſe poſteà intelleximus. Ille ſtatim atq; nos aſpexit, comitèr accedit, cumq; intelligeret illos, qui me comitabantur, eſſe peregrinos atq; *Anglos*, ſolenniùs eos ad morem hujus civitatis amplexus, peropportunè (inquit) adeſtis viri chariſsimi. Nam librum de ſchiſmate *Anglicano* jam habemus in manibus, & ego his viris ſpectatiſsimis receperam, me oſtenſurum quaſdam in illo labes, præſertim illam, quæ religionis in *Anglia* mutationem *Henrico* ejus nominis octavo affingit, cùm ego potiùs *Romanis* Pontificibus aſcribendam eſſe judicem. Sed vos quià jam adeſtis, me hoc onere, ni fallar, liberabitis. Nam uti quondam

Vlysses à *Cyrce* detentus, multa de *Ithacâ* suâ, non sine summâ animi recreatione narravit: sic non dubito vobis ab *Angliâ* vestrâ tam longè disjunctis cordi futuram esse tam piam, tamq; officiosam de illâ sermocinationem. Vtcunque enim Rex vester præcipuam culpam illius defectionis apud exteros fert: reliquus tamen populus reprehensione carere non potest, quòd ad ejus ductum tam temerarium, tamq; impium se applicauerit. Quapropter crimen hoc non ab illo tantùm, sed à reliquis suis subditis depellendo, nescio an etiam aliquos parentes vestros tam funesto è scelere exemeritis.

Illam decessionem (respondit eorum alter) *Henrico* nostro tribuere non multùm recusamus, sed hîc eum deliquisse constantèr diffitemur. Pontifex aliquis suis præstigijs oculos illi perstringere cupiens, si aditum in pristinam Regum libertatem, quam Papæ recentiores illis intercluserant, proprio cum dispendio patefecerit, nos hoc illi acceptum libentissimè ferimus. Et nisi successores ejus haberemus, multò nobis, quàm par est, hâc de re infensiores, autorem hujus dissidij deprehendere non ità multùm cuperemus, eis potiùs investigandum relinqueremus, qui hinc damnum sibi illatum conqueruntur. Sed hoc quicquid est (vir illustrissime) quod istis promisisti, nos vehementèr à te contendimus, ut non solùm persolvas, sed nos etiam hujus rei testes admittas. Nam si te in nostris historijs versatum fuisse intellexerimus, summo quidem beneficio nos afficies, & docebis aliquâ in existimatione apud vos esse nostram patriam, nec inter barbaras & contemptas illas reputari.

Hanc

Hanc tam expeditam reſponſionem virum illuſtrem (quem non ab impoſito, ſed à ſe ſuſcepto munere *hiſtoriographum* mihi nominare libet) multùm oble-ctare videbamus. At (inquit) quià ego vobis obligari non poſſum, præſtabo his quod ſum pollicitus, vos etiam ſpectatores admittam. Quia tamen *Athenienſes* ne in ſuâ quidem civitate, niſi precio ſoluto, ad ſpectacula publica non ingrediebantur: vos in alienâ Republicâ conſtituti non poteſtis recuſare, quò minùs in hanc privatam arenam à nobis tàm humanitèr excepti vel pecunias numeretis, vel ſaltem ſimilem voluntatem emetiamini. Hæc locutus, poſt modicam reſpirationem interpoſitam, ſic exordiebatur.

Liban. in arg. ὀλυνθ. α.

HENRICVM ergò veſtrum hîc omni culpâ libero. Rem Chriſtianam tàm fœdè miſcuiſſe, vel confudiſſe potiùs illi mihi viſi ſunt, à quibus religio fideiq; puritas præcipuum ſolamen expectare, ſolertiſſimèq; recreari debuit. Nam in excubijs qui jacent, ſi hoſtem in caſtra recipiant, quid mirum eſt reliquum exercitum conſterni illicò, ſeu ſaltèm profligari? Papæ, papæ recentiores (quia non ſolùm ciuitas noſtra, ſed & hic amiciſſimorum hominum conſeſſus libertatem orationis elargitur) autoritate ſuâ paſtorali tantùm abuſi ſunt, veteremq; officij ſui ſanctitatem humanis ſordibus ſic contaminârunt, ut non ſolùm clerum univerſum in diviui cultus incuriam, & apertam luxuriam poſt ſe traxerint, ſed laicis in nequitiam ſuâ naturâ nimium propenſis impietatis καὶ τῆς ἀθείας quaſi ſignum aliquod ſuſtulerint. Sic enim res eſt, ut nullum tam tetrum flagitium à quoquam admitti poſſit, cujus

Hiſtoriog.

exemplum insigne aliquod & luculentum ab ipso *Vaticano* non petieris. Sed omnium reliquorum facinora, quæ vel experientia vel lectio mihi suppeditavit, *Iulius* secundus multùm superavit, cùm *Katherinam* illam impetu bullæ suæ, tanquam æstro percitam in *Henrici* leviri sui thalamum impulerit. Quoties illam tragœdiam animus meus pervolvit (rei autem atrocitas sæpiùs pervolvere facit) quoties contemplor, quàm turpi, quàm lutulento dedecore Petri cathedram scelus illud consperserit, quàm denique atrocem mortiferamque plagam ecclesiæ Romanæ inflixerit, cogor certè dicere *Iulio* illi, quod *Hector Paridi* apud *Homerum* : αἴθ' ὄφελες τ' ἄγονός τ' ἔμεναι : Optavissem etiā *Henricum* quantumcunq; innocentem (nisi *Elizabetham* auspicatioribus longè è nuptijs posteà suscepisset) ἄγαμός τ' ἀπολέσθαι. Iliad. γ

ELIZABETHA nunc *Anglorum* est Regina, jamq; triginta (plus) annos illam Rempub. tam insigni prudentiâ, tamq; constanti æquabilitate temperavit, ut licet Romano dogmati in re fidei se non astrinxerit, imperij tamen sui pietate ac moderatione summos omnium gravissimosque, qui fuerunt vel sunt, Imperatores facilè vicerit. Sed hujus laudes à vobis statui reposcere, ipse quod institui pergam explicare.

Acerrimæ Ducum *Eboracensium*, *Lancastrensiumq;* de Diademate Britannico concertationes populum illum diù multumque fatigârunt. Tandem summâ miserentis Dei bonitate factum est, ut *Henricus* quidam familiæ *Lancastrensis* summus ac præcipuus, fuso *Richardo* truculentissimo tyranno, sceptrum ejus regni consecutus sit, & ad evitandam omnem juris sui disceptationem, ex ordinum con-

ſenſu ſibi conjugem aſciverit *Elizabetham*, virginem, ad quam factio *Eboracenſis* jus regni pertinere conſtantèr affirmabat. Hæ, an illæ partes juſtiores eſſent, non diſputamus, quià à propoſito noſtro eſt alienum. Sed *Henricus* ſive ſuo, ſive uxoris titulo Regnum legitimè aſſecutus, illud viginti tres annos, plus minùs, fœlicitèr atque piè procuravit. Quo temporis ſpacio genuit ex *Elizabeta* liberos octo, mares quatuor totidemque fœminas. Horum natu maximus *Arthurus* fuit, quem, quòd ad certiſsimam minimèque controverſam tàm ſplendidi imperij ſucceſsionem deſtinatum eſſe omnes viderent, non mirum, ſi multi principes filiabus ſuis maritum vel adhuc adoleſcentulum expetiverint. Anno igitur ætatis ſuæ 11° cùm *Katharinâ Ferdinandi Hiſpanorum* Regis filiâ ſponſalia contraxit, nec citiùs decimum quintum annum compleverat, quàm cum illâ conjugium etiam iniret. Celebratis multâ cum feſtivitate nuptijs, *Arthurus* in *Cambriam*, principatum Regis primogenito jampridem ab *Henrico* tertio deſignatum (unde *Londinum* nuptiarum causâ conceſſerat) cum uxore revertitur. Hujus rei recordatio mihi in mentem redigit *Socratem* illum apud *Platonem*, qui mane ejus diei, quo mors illi oppetenda fuit, compedibus ſolutus, lectuloq; inſidens, inter fricandum crus, quod ex dolore compedum ſuperato jam prurire cœperat, ſe mirari dicit, *Aeſopum* fabulâ aliquâ voluptatis dolorisque mutuam conjunctionem non expreſsiſſe. Siquidem uterque, licet ſimul homini adeſſe non poſsint, ſic tamen verticibus quaſi connectatur, ut ubi illa adſit, hìc ſtatim ſit adfuturus.

Polyd. Virg. in Henrico 3.

Phædo.

Hujus lepidi commenti veritatem comprobavit illi pruritus dolorem compedum ſubſequutus, ſed Anglis nihil unquam magis, quàm triſtiſsimus ille eventus, qui lætiſsimam illam nuptiarum ſolennitatem tanquàm à tergo comitabatur. Nam vix jam quinque menſes uxore ſua gauiſus fuerat *Arthurus*, cùm mors illum ſuauiſsimis ejus amplexibus non ſine mœſtiſsimo totius *Angliæ* luctu & ſqualore ſurriperet. Hujus autem interitus parentibus tanto moleſtior eſſe debuit, quòd ex acutâ febri ceciderit, quam præmaturus coitus contraxiſſe putabatur. Et certè illos quantumcunque torſit, cruciaſſet tamen multò vehementiùs, niſi dolorem eorum ſpes noua ad tempus ſubleuaſſet. *Katharinam* ab *Arthuro* grauidam eſſe factam cogitabant: ſed illud cùm alitèr ſe habere poſt paucos menſes intelligerent, *Henricus* filius ſecundus *Princeps Walliæ* pronunciatur. *Katharinam* parentes cum dote repetunt: ſed cùm dos uberior videretur, quam ſine ſummo rerum *Anglicarum* periculo illinc vel in *Galliam* vel in *Scotiam* ad alium aliquem maritum exportari poſſet; *Henricus* pater *Ferdinandi* ſenſus explorat, nùm *Katharinam* etiam huic ſecundo filio ſuo nubere pateretur. Res *Hiſpano* ſaltem deliberatione digna videbatur, licet per jus diuinum hoc minimè poſſe fieri ſuſpicatus ſit. Atque igitur cum *Anglo* conuenit, ut hâc de difficultate *Romanus Pontifex* conſuleretur. Aliquot anni decurrunt, & *Anglus* hanc vitam cum aliâ commutauit.

Succedit illi in regno filius, quem unicum ſuperſtitem reliquit, *Henricus* ejus nominis octauus. Hunc, cùm jam decimum octauum annum ageret, eſſetque

non solùm vultu, staturâ, figurâq; corporis eximius, sed etiam summis animi virtutibus ornatus & excultus, concinnum filiæ suæ virum existimabat *Ferdinandus*, nisi quòd mandatum diuinum tales nuptias propter affinitatem jam anteà contractã impedire crederet. *Henricus* etiã ex consilio procerum suorum *Katharinam* fratris *Arthuri* viduam satis idoneam sibi fœminam judicauit, sed de voluntate numinis oraculum priùs implorandum esse censuit. Neque enim Regibus utilitas tanti momenti esse videbatur, quin illam honestate præponderarent. Per legatos igitur suos *Iulium* secundum adeunt, qui tum *Romæ* sedebat, interrogantq;, num inter claues sibi à *Petro* relictas, unam aliquam inueniret, quæ hanc tam firmam affinitatis seram aperire posit. *Iulius* siue quæstu pellectus, siue stupido temporum illorum torpore ad nimiam potestatem suam abusus, hanc affinitatis quasi plumbaturam se facilè dissoluere posse profitetur, arctiusq; longè vinculum inter *Henricum* & *Katharinam* plumbo quodam suo connectere. Nam *Arthurus* quòd nullos ex eâ liberos suscepisset, legem *Mosaicam* non pati modò, sed etiam jubere prædicat *Henricum* fratrem, ut illam sibi conjugem assumat. Non citiùs illi manum legati perfricuerant, quàm in senilem memoriam illi redigerent ipsa verba, quæ hoc probant, *Quandò* (inquit) *habitaverint fratres simul, & unus ex ijs absq; liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater ejus, & suscitabit semen fratris sui & primogenitum ex eà filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Israel*. Fatetur ex instituto Christianæ Ecclesiæ prohiberi conjugium Deut. 25. 5, 6.

leuiri

leviri cum suâ fratriâ, sed cùm hoc potiùs ad publicam honestatem, quàm juris divini & naturalis præscriptum interdicatur, non dubitat suam dispensationem quicquid hic sit incommodi facilè posse dispellere. Imò verò cùm Regis intercessoribus, ad faciliorem tam inusitati privilegij adeptionem, coitum *Arthuri* cum *Katharinâ* dissimulandum utilitas suaderet, existimantibus procul dubio se ignominiosè nec sine repulsa petituros harum nuptiarum indulgentiam, si ipsi *Katharinam* ab *Arthuro* cognitam esse faterentur: *Iulius* tamen ardore quodam clandestino accensus, *Katharinæ* precibus tantum tribuebat, ut etiam coitus impedimentum, si quod intercessisset, tollere non dedignaretur. Illa enim, utcunque Deum timens, atque ob vitæ sanctimoniam multùm jure laudata, tantum authoritati Pontificis ascripsit, ut eum quod atrum esset, candidum efficere, diemque in noctem pro arbirrio suo conconvertere posse firmissimè crederet. Quapropter veritatem, quam penitiùs noverat, licet in vulgus exire nollet, tamen omninò dissimulari passa non est: atque igitur re tandem Pontifici declaratâ, diploma eousq; ampliari petiit, ut etiam ad coitum, (si quis fortè fuerat) extenderetur. Quid multa? Bullam undique capacissimam *Iulius* elargitur, ut vel montes credo, si qui tantæ suæ bonitati obstarent, obsorbere ac devorare posset.

Cap. fina. ext. de divor.

Hujus exemplum habes in fine libri.

Hanc libertatem à Pontifice datam *Henricus* cum intelligeret, nihil ultrà dubitat adolescens, *Katharinam* uxorem ducit, dat operam liberis, viginti annos cum illâ versatur, tres filios duasque filias ex eâ procreat. Quorum

tamen

tamen nullus diu vixit, si unicam *Mariam* excepero, cujus nuptias multi externi principes avidè consectati sunt. Inter reliquos *Charolus Cæsar* primus fuit, sed ille, natalitiis *Mariæ* in dubium vocatis, citò deferbuit. Deinceps *Franciscus* Gallorum Rex eam *Delphino* filio suo natu maximo, post secundo Duci scilicet Aurelianensi, denique cum illorum ætas nimis immatura Anglo videretur, sibi ipsi conjugem flagitavit. Hîc non sine aliquâ propensitate deliberat *Henricus*: verum *Volsæus* quidam erat, Cardinalis certè, sed vafer, sed audax, sed superbus, qui licet ex his nuptiis satis firmum fœdus inter *Anglum* & *Gallum* coiturum esse non diffideret contra *Charolum* Imperatorem, qui tum cum *Francisco* capitales inimicitias exercebat: non tamen de *Charolo* ultionem quærere satis putabat, à quo primùm in *Tolosani* Episcopatus, deinceps etiam in papatus ambitu se gravitèr lusum suboluerat, nisi etiam *Katharinam*, *Charoli* materteram nimirùm, eodem ictu vulneraret, quam fœminam quidem sanctissimam impuritati suæ vitæque libidinosæ semper habebat infensiorem. Ille igitur ad subvertendam hanc nuptiarum spem, nonnullis clanculùm insusurravit, nunc *Gallum* in dubium vocare nuptias *Henrici*, quemadmodum anteà *Cæsar* vocaverat, nec satis exploratum habere, an *Maria* ex illis nuptiis genita justè nasceretur. Sic enim se effecturum sperabat, ut *Henricus Katharinam* brevi repudiaret, & *Margaritam Galli* sororem Ducis *Alansonij* viduam matrimonio sibi copularet. Fœdus inter duos Reges si sic iceretur, & firmius futurum esse putat, & longè tum *Charolo*,

tum

tum *Katharinæ* perniciosius, quàm si Rex Christianissimus *Mariam* puellam duxisset. Nàm cum virgo *Charoli* consanguinea esset, ejus cum *Francisco* nuptias discordiam licet acerbissimam, quæ illis intercesserat, tandem fortè componere posse suspicabatur, quòd ille (pacificus scilicet Cardinalis & homo Dei) nullo modo patiebatur. Cum è contra, si *Henricus Margaritam* acciperet, & *Franciscus Mariam* tanquam ex concubinatu quæsitam respueret, non dubitauerat *Charolum* duobus potentissimis hostibus simul junctis perpetuò affligendum, *Katharinam* aliquandò rejiciendam, *Mariam* non solùm principatu *Cambriæ*, quem jam possedit, sed etiam omni spe *Britannici* imperij deturbandam. Quis crederet malitiam vehementiùs nos ad officium præstandum impellere posse, quàm pietatem ? At vitium istarum nuptiarum, quod *Volsæus* plurimiq; alij multò antè deprehenderant, nemo adduci potuit, ut regi proderet, priusquam livor illud huic bono theologo expressisset. Qui tamen quantumcunq; in *Charolum* & *Katharinam* inflammatus, vel apud *Henricum* gratiosus: (nam res Anglicanæ jamdiu ab ejus solo nutu dependerant) non audebat hoc temerè Regi significare. Nam non solùm conjugem, sed & filiam multùm amare illum nouerat, sic ut perspiceret vel ab illâ divelli, vel hanc spuriam agnoscere sine summo animi cruciatu nunquam posse. Quapropter *Longlandum* quendam reverendum Episcopum *Henrici* confessorem primò contrectat, quid de leviri cum fratriâ conjugio sentit, generaliter expiscatur: & postquam eum hujusmodi coniunctionem non tam coniugium, quàm coitum incestuosum judicare persentiscerat,

propiùs hominem accedit, dicitque, quid exteri de Regis cum *Katharina* matrimonio cogitant. Illum igitur hortatur, *Henricum* hâc de re moneat: hoc muneri ſuo accommodatiſsimum maximeq; idoneum prædicat. Antiſtes ſive modeſtiæ ſuæ non ità congruum arbitraretur, ſummi Pontificis authoritatem in dubium vocare, ſive potiùs hinc ſibi quicquam pertimeſceret, nihil tale auſus eſt, ſed negotium potiùs in Cardinalem retorſit, quem & authoritate & gratiâ non minùs apud Regem valere rectè dixit, quàm ut facillimè omnium animum ejus quo vellet flectere, vel undè vellet, reflectere poſſet.

Dum hæc aguntur, non exiſtimandum eſt inſignem hunc artificem tam imperitè dolos ſuos nexuiſſe, quin ſuſurros quoſdam & rumores de nuptiarum labe, deque tum *Germanorum*, tum *Gallorum* hâc de re ſententiis in vulgus per aſſeclas ſuos ſpargi procuraverit. Hinc enim conſecuturum videbat, ut res non ſolùm ad aures *Henrici* tandem perveniret, ſed illum etiam valdè torqueret, cum *Mariam* primùm à *Charalo*, deinceps à *Franciſco* propter ſuſpectam natalitiorum labem deſertam fuiſſe intelligeret. Neque certè eum ſua fefellit opinio. Quippe hæcq; cum ad Regem primò delata eſſent, quàm ærumnoſis cogitationibus animum ſuum oppleverint, difficilè eſt dicere. Si pictor ille *Agamemnoni* mortem *Iphigeniæ* ſuæ lamentanti caput chlamide obvolvendum eſſe duxerit, quòd ſummum illum luctum penicillo ſe imitari poſſe diffideret: quis oratione dolores illos internos adumbrare poteſt, quibus diſcruciabatur magnanimus *Henricus* tùm, cum non ſine turpiſsimâ ſuâ contumeliâ caſtiſsimam fœminam, unicamq; quam habebat, Cicero lib. de Orat.

habebat, filiam, & florentiſsimi regni ſui hæredem, eodem momento ſe amiſiſſe conſpiceret: Quid ageret? Pontificem harum rerum Iudicem ſolum agnovit, eum igitur ſolum adeundum eſſe cenſuit: *Romam* ergò legatos denuò mittit, ut indè tot malorum remedium quàm poſſent ſaluberrimum ſibi peterent. Illi cauſam ad Pontificem deferunt, nihil in ducendâ *Katharinâ* feciſſe Regem ſuum aſſerunt ſine conſilio *Iulij*, tamen apud Chriſtianos Principes nuptias iſtas periculosè ventilari, longum eſſe iter ad *Romam*, ſubditorum animos harum moleſtiarum cogitatione graviter laborare, ab hâc controverſiâ non ſolùm opulentiſsimi regni ſucceſsionem, ſed & animarum non leve præjudicium dependere, feſtinationem deniquè omnia flagitare.

Cathedram tum poſsidebat *Clemens* ſeptimus, qui negotium hoc, poſt aliquam Pontificiorum altercationem, commiſit *Volſæo* in *Angliâ* jam degenti, & *Campeio* Cardinali rerum Anglicarum non inſolenti, quòd illuc jam anteà à *Leone* decimo legationem obiviſſet, cauſamque quantâ poſſent tum celeritate, tum æquitate dirimere illos jubet. *Campeius* in *Angliam* affert diploma, quo controverſia hæc ſibi & *Volſæo* delegatur. *Henricus* & *Katharina* in diverſa vota rapiuntur; illo non conjugem repellere, ſed divortium potiùs, quàm imperij ſui vaſtitatem (quam hæ tragediæ minitantur) optante: hâc ejus qualiſcunque connubij confirmationem continuationemque plurimùm omnibus modis affectante. Rex enim tum juſtam ſobolem ad ſucceſsionem imperij procreandam, tum animam ad perpetuam in

cœlis

cœlis beatitatem præparandam esse duxit: *Katharina* fœmina quidem integerrima, sive tamen viri & filiolæ suæ amore nimis occæcata, sive gentis suæ vitio & superstitione tincta, Pontificis decreto tantum tribuit, ut vel res iniquissimas præstare posse putet.

Hoc tempore Christianum orbem infestissima bella vexabant, multumq; lacerabant, præcipuè verò illud, quod *Charolus* Imperator, & *Franciscus* Gallorum Rex de regno Neapolitano invicem gesserunt. Cujus victoriam Pontifex *Francisco* optavit, ne *Charolus* illam assecutus, universæ Italiæ nimiùm immineret. Vt igitur hujus partes debiliores redderet, fœdus movet inter *Anglum* atque *Gallum*, ad quod, ut *Henricum* faciliùs pelliceret, contentus fuit hujus causæ matrimonialis cognitionem ad dictos delegatos non solùm referre, sed etiam non rogatus, causâ cognitâ quidem, tamen non adhuc in judicio disceptatâ, meroque motu suo (ut in foro loquuntur) decreti cujusdam tabulas *Campeio* jam profecturo dedit, quo connubium *Henrici* cum *Katharinâ* nullum, irritumque pronunciaverat. Eum tamen vetuit cuiquam illas ostendere, præter quàm Regi & *Volsæo*, donec expressum ab ipso mandatum ad hoc accepisset. Causam licet celeritèr expediri palàm jusserit, in aurem tamen legatum suum pro formâ ventilare monuit ad tempus, & quam posset artificiosè protrahere, se ipsum verò decreti promulgandi occasionem observaturum pollicetur. Tabulæ illæ tantâ solertiâ custodiebantur, ut non in multorum manus exiverint, nostras tamen (uti fit) non evaserunt.

Guicchard. li. 19. suæ hist.

Delegati (inquiam) juxta præscriptum Domini papæ, bullam

bullam hanc imâ taciturnitate continent, & ad causæ cognitionem sese accingunt. Rex atque Regina vocati apud ipsorum tribunal se sistunt: Atque ille cum omnia sic parata essent, ut sibi præfandi opportunitatem oblatam videret, assurgit, & adductâ ad pectus manu palàm & clarâ voce testatur, se *Katharinam* illo amore complecti, quo vir conjugem deberet, eamq; tam integræ uitæ esse fœminam, ut vel augustissimo omnium principe digna esset: verùm nescio quo modo, inquit, quià prius fratri meo nupserat, hoc nostrum connubium utcunque à *Iulio* permissum, multis tàm exteris quàm *Anglis* suspectum esse, sobolemq; quam hinc procreaui, vix ab omnibus legitimam duci percipio. Non solùm ergò terristris imperij, sed & cœlestis uitæ sollicitudo me monet, ut ueritatem hujus rei perquiram. Vos obsecro (viri præstantissimi) ut illud agatis, quod uestrum est, ego vestræ sententiæ me acquieturum esse profiteor. Res eò perducta est, ut tam à Regis quàm Reginæ aduocatis copiosè disceptaretur, sed ità tamen, ut disquirerent potiùs, quid *Iulius* suo diplomate concessisset, quàm quid per verbum divinum concedere potuisset, ut ipse *Sanderus* in hoc libro testatur. Nemo enim de papæ potestate dubitavit, tantùm quid bulla suo plexu comprehenderet, discutiunt.

Hujus bullæ exemplum habes in fine operis.

Legati præter justas dilationes, multas etiam friuolas & ineptas prætexunt, ut negotium tantò diutiùs procrastinarent. Interim quia *Henricus* per oblatam diuortij spem ad Galli partes pertrahi non poterat, sed sartum tectum conseruauit fœdus illud quod majores sui cum familiâ *Burgundica*

jam

jam anteà percusserant: Pontifex longè alium quàm speraverat belli Neapolitani eventum deprehendit, & cum *Galli* partes tandem vacillare cerneret, *Franciscum* quendam *Campanam* in *Angliam* subitò mittit, qui *Campeium* juberet decretum illud igni tradere, quo priùs *Henrici* cum *Katharinâ* conjugium dissolvisset. Nam *Charolum* jam anteà illi satis offensum noverat, quòd in *Gallum* propendisset: nunc igitur ob tantam contumeliam materteræ suæ inustam multò vehementiùs illum concitari debere suspicatur. Huic mandato licet *Campeius* tardè paruerit, quòd Pontificem in graviorem morbum incidisse intelligeret, quàm ut curationem speraret: tandem tamen eum audiens convaluisse, religiosè satisfecit. Hoc metu cum se *Clemens* expedivisset, controversiam hanc de matrimonio satis, ut videbatur, in *Angliâ* subactam, ad consistorium *Romanum* definiendam accersit.

Iam *Henricus Charoli* gratiam subvereri cæpit, & ut illam, quantum posset, elevaret, non solùm Theologos ac Iurisconsultos (quos *Anglia* tùm habebat & multos & peritissimos) de hoc conjugio consuluit, sed utramque etiam conflavit Academiam suam, *Cantabrigiensem* scilicet & *Oxoniensem*, eisque hanc thesin publicè disputandam proposuit, *An leviri cum fratriâ conjunctio jure divino sic interdicta esset, ut nullo privilegio tolerari posset*. Omnes hunc congressum improbant, damnant, detestantur. Suorum tamen sententijs non acquievit, nuncios in transmarinas nationes magnis suis sumptibus mittit, ut non solùm doctissimorum hominum, quos illic invenirent, sensus hac

de re perquirerent, ſed etiam Academiarum quarum-cunque judicia explorarent. Aliquot fuerunt, qui pertinacitèr tàm in *Pontificis* quàm *Charoli* gratiam ſteterunt à matrimonio, ſed plurimi idem oppugnabant. Ità ut non pauci libros eâ de controverſiâ laudatiſsimos compoſuerint: Academiæ etiam, pro more ſuo, theſin accuratiſsimè diſcuſſerint, & deinceps ſcitum ſuum graphicè deſcriptum, communique, quod habebant, ſigillo munitum, ſingulæ remiſerint. Hæc judicia quamprimùm ad *Henricum* perlata ſunt, licet anxium illum redderent, tamen, quæ ſunt, *Romam* mittit & Pontifici narranda curat. *Clementem* tamen neque doctiſsimorum hominum libri, nec Academiarum ſcita, neque multi, qui rem coram illo diſceptare cupiebant, neque vires proprij decreti, quo matrimonium hoc jam anteà enervaſſet, quicquam impediunt, quò minùs ſententiam nunc à *Katharinâ* ferret.

Has cenſuras habebis in fine operis.

Exemplum hujus ſententiæ habes in fine operis.

Hæc nova quamprimùm in *Angliam* perferuntur, quid ni Rex tàm magnanimus excandeſceret? quid ni eludi ſe ſuboleret? quid ni Pontifices verbum divinum tanquàm regulam *Lesbiam* inconſtantiæ rerum humanarum, atque adeò ſuis deſignationibus inflectere perſpiceret? *Iulius* primò conjugium permiſit, quod & præſtantiſsimi omnium, qui tunc vixerunt, impium, inceſtuoſum, & execrabile judicaverunt, & etiam ipſe *Clemens* ſuo diplomate penitùs diremit. Et tandem idem *Clemens* nec judicium totius quaſi orbis Chriſtiani, nec decretum ſuum tanti fecit, quin ad *Iulij* partes facilè relaberetur. Doleo certè Pontifices noſtros homi-

nibus prophanis & irreligiosis tantùm sui deridendi occasionem præbuisse: sed tam ridiculis eorum præstigijs, & imposturis Christianæ disciplinæ repagula convulsa esse atq; perrupta boni omnes lugent multò vehementiùs.

Cum *Henricus* eos ecclesiæ ductores, quos ad Salvatoris nostri normam omnia metiri atq; componere priùs crediderat, temporibus & occasionibus Theologiam suam accommodare deprehenderet, ad calculos statim revocavit illam potestatem, quam in omnes Christianos principes jam diù exercuerant, & post consultos regni ordines illinc exterminandam planè censuit. Primitias ecclesiasticas, necnon censum illum annuum (quem *Petri denarios* vulgus appellabat) sedi Apostolicæ statim detraxit, seipsum *omnium causarum tàm spiritualium, quàm civilium supremum Iudicem intra regni sui septa* pronunciavit, contemptâ deniq; autoritate Pontificis, post *Katharinam* repudiatam, novas nuptias cum *Annâ Bolenâ* contrahit, quam *Sanderus* in isto suo libro pluribus maledictis, quàm decuit hominem Theologum, configit: quàm veris tamen, vos meliùs dixeritis, quibus res vestræ perspectiores esse debent. Religio Christiana summam reverentiam nos docet erga omes, quicunq; cum magistratu & imperio sunt; præsertim eos quorum ditioni subijcimur: eos ergò convitijs proscindere nemo potest sine tetriori malitiæ notâ, quàm homo ab omni modestiâ non derelictus libentèr sustinere velit. Sed nos historiam ad exitum jam propè deductam concludemus.

Henricus paulò postquàm jugum hoc, quod tam gravitèr & suas & majorum suorum cervices pressisse

 videbatur,

videbatur, excuſsiſſet, plurimos in ſuo regno monachos invenit, qui malè hoc tulerunt, quique nullo modo adduci potuerunt, ut in ejus verba jurarent. Quà re multùm concitatus, non ſolùm de reis ipſis ſupplicium ſumpſit, ſed etiam monaſteria omnia, quæ tum in *Angliâ* fuerunt, & plurima & locupletiſsima dijecit & complanavit: eorum mobilia diripuit, terras, quæ tertiam regni partem ſuperare credebantur, fiſco vindicavit. Papam enim omni ſpe reditus privari non exiſtimavit, dum aliqui reperirentur, qui cauſam ejus tàm ſtrenuè defenderent.

Hoc modo non ſolùm *Anglia* & *Hibernia* Pontificem ejecerunt, ſed reliqui etiam principes Chriſtiani, ad hoc exemplum, ejus poteſtatem vel protinùs abdicarunt, vel ſaltem ſic retinent, ut eam non multi faciant. Atq; ergò hæc mala jure videmur non tam hæreticorum pervicaciæ tribuere, quàm hæreticorum multitudinem ipſis Pontificibus, qui jam diù tam diſſolutè vixerunt, ut quid quiſq; de ſe ſentiret, prorſus eos neglexiſſe judicaveris.

Nunc apoſtatam *Henricum*, *Annam* non pellicem tantùm *Katharinæ*, ſed & ipſius *Henrici* ex coitu furtivo filiam, ipſam verò ſcortum omnibus proſtitutum dicunt: ELIZABETHAM etiam (quam *Henricus* ex eâ ſuſcepit, *Angli* verò nunc ſuam Reginam agnoſcunt) ſpuriam, hæreticam, meretricem eſſe clamitant. Eam denique liberos ſpurios, quos tres habet, ex ordinum conſenſu ad ejus regni ſucceſsionem deſignaſſe, quod non ſolùm ſedi Apoſtolicæ ſtipendiarium, ſed etiam acceptum referri ſolere prætexunt. Tormenta, infernum, diabolum tùm ipſi, tùm ſuis ſubditis qui obſequium aliquod illi

Bozius in libr. 12. de ſign. eccleſiæ cap.

illi præstant, minitantur atque vibrant. Sed stulti aucupes mihi videntur esse, qui strepitu volucres abigunt, & eas quòd avolaverint, maledictis insectantur. Integritas atque sanctitas *Christi* imperium tàm latè propagavit: falluntur ergò, qui idem sordibus & fraude sustentari putant. Non est hîc avaritiæ, non est ambitioni locus: omnia ad verbum divinum, tanquàm ad Lydium lapidem, examinanda sunt: hujus tactum quæ refugiunt, quantumcunque specimen emolumenti præ se ferunt, tristem & funestum exitum semper habent.

HIc cùm subsisteret *Historiographus*, sermonem ejus *Pontificius* risu excipiens leviori, tàm perspectam (inquit) habemus tuam & diligentiam & fidem, ut veritatem nec ignorare te, nec dissimulare velle suspicemur. Vtcunque igitur hanc rem alij alitèr referunt, tua me movet autoritas, ut hæc quæ dixisti, tibi credam singula, quem semper novi temporum & solertissimum observatorem & integerrimum relatorem. Si tamen hoc nostrum ocium tam seriam disputationem pateretur, facilè putarem me posse ostendere, quantâ cum injuriâ hodiernos ecclesiæ Catholicæ luctus ab illo *Iulij* diplomate derivaveris.

Henrici cum *Katharinâ* fratriâ suâ nuptias Pontifex ille toleravit: sed quod jure tum humano, tum divino fecit, nobis tot calamitatum causas putare, summa esset inscitia, nisi tu diceres. Certè *Deus Opt. Max.* nec tàm rarò ab hominibus provocatur, nec tam leves iracundiæ ansas arripit, ut velit tam diuturno populi sui mœrore factum illud Pon-

tificis vindicare, quod ipse in lege suâ si non jubeat, tolerat tamen ac permittit. Sed nos colligendi causâ hùc venimus, non contendendi. Imò verò (dicit *Historiographus*) res seriæ, quas cùm delectatione agimus, vel plurimùm recreant. Tibi igitur si sit animus aliquid afferre contra hanc nostram opinionem, ut idem pro viris istis amicissimis pollicear, nè dubites, quin oratio tua summam nobis voluptatem allatura sit. Consulo tamen interim te circumspicias. Adest enim peritissimus *Theologus*, qui pro amicitia sua, nec capi me tuis argutiis, nec pro pietate, veritatem opprimi patietur.

AD meliorem ergo (inquit *Pontificius*) tam longi itineris præparationem, primùm removenda mihi videntur illa impedimenta, quæ cursum nostrum aliquo modo retardare possunt. In ipso autem limine se offert illud *Levitici*: *Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis, quià turpitudo fratris tui est.* Hoc enim est, quod te, ut multos alios, in hunc opinionis errorem induxisse, & quod ferè solùm molestiam aliquam nobis in hoc negotio allaturum videtur. Varia atque multiplex est ejus legis interpretatio. Vt enim de illis nihil dicamus, qui præceptum hoc scriptorum vitio irrepsisse, nec *Mosis* esse putant: aliqui illud sic restringunt, ut de uxore fratris viventis tantùm intelligi velint. Sed talis conjunctio non tàm conjugij, quàm adulterij nomine condemnaretur. Cùm ergò adulterium morte plectatur, copulatio autem leviri cum fratria sterilitatem tantùm infligat, hoc commentum somnij similius est, quàm ut posit diù consistere.

Cap. 18. vers. 16.

Sed

Sed hos alij corrigunt, dicendo nimirùm illum contextum loqui de uxore fratris adhuc viventis, ſed tamen repudiatâ: quæ eorum ſententia licet à nobis ſit, quod dat tamen non accipimus. Diſsimulare enim non poſſumus, quin reliquæ *Moſis* prohibitiones in eodem capite promulgatæ non æquè debeant intelligi de viventium uxoribus repudiatis, atque hæc de ducenda fratria. Cum ergò illæ de noverca, vel amita accipienda, non tantùm repudiatis aſtringendæ ſunt, ſed etiam ad patris & patrui viduas extendendæ, certè non poſſum hanc interpretationem ineptam & futilem non fateri, &, favorem quemcunque noſtris partibus prætendunt, non apertè reijcere.

Sanctus *Auguſtinus* legem illam de uxore fratris defuncti loqui vult, ſed tamen alia *Deuteronomica* reſtringi tanquàm genus ſpecie. Nam illic & idem *Moſes* fratrem jubet accipere uxorem fratris defuncti ſine liberis. In hoc vir ille beatus Iuriſconſultorum ſententiam ſequi videtur, qui omnem definitionem in jure civili periculoſam eſſe profitentur, raro enim eſſe, ut non ſubverti poſsit. Atque igitur utcunque verbis univerſalibus decreta ſua proponunt legiſlatores, ſingulis tamen tacitam ἐπιείκειαν adhibent, quæ illorum auſteritatem, ratione hoc ſuadente, lenit atque temperat. Quapropter ſi tàm præclarum ducem ſequi ſtatuamus, eſt quidem illa *Levitica* prohibitio univerſalis, ſed per ſpeciem à *Moſe* in *Deuteronomio* propoſitam coarctata atque repreſſa. Vix adduci poſſum, ut ab *Auguſtini* latere vel tantillùm alicubi diſcedam: ſed hîc tamen authoritas Eccleſiæ Catholicæ ab illius

Quæſt.61. ſuper Levit.
Deut.25. verſ.5.
L.202. ff. de reg. juris.

 opinione

opinione me pellit. Nam si illud *Deuteronomij* moderatio quædam fuisset legis *Leviticæ*, tum procùl dubio Ecclesia legem illam cum exceptione hac Christianis etiam imposuisset, quemadmodùm *Moses Iudæis*. Sed cùm hujusmodi conjugium sine speciali summi Pontificis dispensatione nemo ineat Christianus: ignoscat mihi vir ille sanctissimus, si illud prius τὸ νόμιμον hoc posterius τὸ ἐπιεικές esse non concedam. Neque verisimile est *Deum* dictam legem solitariè primò figere, deinceps post quadraginta ferè annos, ejus exceptionem emittere voluisse: utcunq; enim homines dormitare possint aliquandò, *Deus* omnibus horis sapit, nec tempore ad consilium emendandum opus habet. Neq; tamen ab *Augustino* dissentire me existimetis, quòd ex illius interpretatione mali quicquam nostris partibus extimescam. Nam si demus posteriorem legem prioris exceptionem esse, sive limitationem (ut nostri loquuntur) prior naturali jure consistere non potest, quin posterior eodem è fonte necessariò dimanet. Hanc ergò qui tollunt ut judicialē, Hebræisq; tantùm impositam, illius perpetuitate Christianos onustos malè tenent: utramq; abrogent vel neutram, & nobis nihil nocent.

Bellar. cap. 23. de matrimonij Sacr.

Bellar. cap. eod.

Nos autem in illorum potiùs opinionem discendimus, qui hujus conjugij defensionem in se susceperunt, tùm cùm *Henricus* ille divortium primum meditari putaretur. Illi legem *Deuteronomicum* Leviticæ tantùm explicationem esse prædicant. Quemadmodùm præcepto (*non occides*) nihil obstante, multæ leges sunt particulares, quæ nihilominùs latronem vel violentum grassatorem occidi non solùm patiuntur, sed etiam sic imperant, ut talibus parci sine scelere

Item Bellar. ubi supra ex Caietan.

non

non possit: ut ergo non negemus illud Levitici universaliter esse iustum, nihil tamen impedit, quo minùs circumstantiæ *Mosen* ad contrariam planè jussionem potuerint impellere.

Secundæ difficultati, quam nobis objiciunt adversarij, Divi *Iohannis* authoritas prætenditur. Illum enim *Herodem* increpasse dicunt, quod fratris uxorem conjugio sibi copulasset: Non inficiamur virum illum sanctissimum tetrarcham hujus criminis redarguisse. Sed qui *Iosephum* legit, inveniet *Herodem* fratris non defuncti conjugem accepisse, sed vivi rapuisse. Autor enim ille *Herodiadem* post *Salomen* filiam marito suo *Herodi* eductam *in contemptum legis patriæ* germano mariti sui adhuc superstitis nupsisse refert. Hoc *Iosephi* testimonium alij multi corroborant, sed priorem *Herodiadis* virum, quem ille *Herodem* nominat, *Philippum* potiùs appellari volunt. Illum autem sive *Herodem*, sive *Philippum* in vitâ tum fuisse, cum *Iohannes* Tetrarcham hâc de re coargueret, *Aegesippus, Origenes, Hieronymus* constanter affirmant. *Tertullianus* & *Chrysostomus* contrariam habent opinionem: sed plura testimonia (factâ saltem personarum æqualitate) paucioribus præferuntur. *Eusebius* non solùm *Philippum* tum vixisse asserit, cùm *Herodes* illi conjugem abriperet, sed etiam *Herodem* ipsum harum nuptiarum causâ fœminam suam abdicasse. Sed adversariis concedamus *Philippum* fuisse mortuum. Tamen, propter liberos ab uxore procreatos, *Herodem* illi in thoro succedere leges vetuerunt. Videtis igitur quomodò nec vivi nec mortui partibus illorum quicquam prosint.

Pergunt nobis opponere *Paulum* Apostolum

Corynthios

Mat. 14.

Lib. 18. ant. Iud. cap. 7.

In frag. super Mat.

Corynthios objurgantem propter lenitatem suam
1.Cor.5.1.&c. in quendam, qui novercam suam uxorem sibi sumpserat, jubentemque illum Sathanæ tradi, quià nimirùm ipsas gentes tam execrabilis stupri, vel nomen semper exhorruisse prædicat. Sed miseri quàm toto errant cœlo? Tam Sanctus *Thomas* quàm Sanctus *Anselmus* putant, Apostolum illic loqui de aliquo, qui novercam suam, vivente adhuc patre, loco concubinæ tenuit: hancque suam conjecturam sustinent illis verbis, ***Scripsi vobis non propter illum qui fecit injuriam, nec propter eum qui passus est, sed ad manifestandam sollicitudinem vestram.***
2.Cor.cap.7. Nam illum qui injuriam fecit, filium incestuosum, eum qui pertulit, patrem esse volunt cujus uxorem filius corruperat. Hanc etiam illorum opinionem locus ipse mihi videtur valdè comprobare. Nam cum dicat Apostolus ***talem inter illos audiri fornicationem, qualis nec inter gentes***, certè plusquàm verisimile est, patrem tum vixisse, cùm impurus ille filius novercam suam in tam fœdam societatem pellexisset: præsertim cùm *Paulo*, qui tanta eruditionis varietate instructus, perpolitusq; esset, ethnicorum consuetudines tam ignotæ esse non potuissent, quin sciret & *Persis*, & aliis etiam nationibus celebratissima fuisse, tum cùm novercis, tum nuribus suis conjugia. Istis tamen nihil optantibus, demus (quod postulant) patrem illius obscæni filij mortuum fuisse. Quid hinc efficient? Num non licere fratriam ducere, quia novercam non licet? Dialecticis herclè parùm imbutos esse oportet illos, qui sic rationum instituunt. Quasi pater arctiori vinculo nobiscum non constringatur quàm fratèr? quasi longè

longè honorificentiorem obſervantiam jure naturali non expoſcat? Sed hoc non urgebimus.

Iſti, ut nullum lapidem non moveant, non deſinunt illum *Abrahæ* verſutiam nobis inculcare, quâ primum *Pharaonem* Ægyptiorum, deinceps *Abimelechum* Palæſtinorum regem illuſit. Huic enim ipſum naturæ lumen ſatis ſemper fuiſſe clamitant ad prodendam turpitudinem illorum conjugiorum, quæ inimus cum noſtris conſanguineis. Nam ſi fratrum ſororumq; connubia (inquiunt iſti) aliquo in uſu fuiſſent, reges illi adhuc *Abrahamum* interrogaſſent, num etiam *Saram* uxorem habuiſſet. Illi autem quod tale conjugium à naturali jure prorſus abhorrere intelligerent, nihil ultrà percontati ſunt, ſed quàm primùm ſororem eſſe ſcirent *Abrahæ*, ſibi in conjugium expetere nunquàm dubitarunt. Næ magnâ argumentorum penuriâ laborant ij, qui illa è tantis anguſtiis coguntur eruere. Quid dixerunt reges illi, cum *Saram* & ſororem & uxorem eſſe *Abrahæ* cognoſcerent? Multum abſuit, ut illum ſtupri redarguerent. Nam utcunque *Saræ* pulchritudine deprehenſi & irretiti illam viro ſuo demiſerunt: ipſumque *Abrahamum* non ut adulterum & ſcortatorem vel plexerunt, vel exegerunt, ſed ut hominem *Deo* charum & peramatum multis cum muneribus ablegarunt. Sed nos quorſum *Aegyptij*, quorſum *Palæſtini* judicium expectamus? nobis certè hoc unicum multorum argumentorum inſtar eſſe debet, quòd tantus vir ſororem ſuam uxorem ſibi fecerit. Hic enim pater omnium fidelium nihil procul dubio niſi cū *Deo* faceret. At *Saram* jam duxerat tenebris illis *Meſopotamiæ* obvolutus, nec in cultū divinū adhuc ab ethnicorum colluvie defæcatus. Sic diſputant.

Gen. 12. 15.
Gen. 20. 2.

adver-

adverſarij non intelligentes, aut ſaltem diſsimulantes, *Deum* tam ab uxore, quàm terrâ ſuâ virum illum ſegregare voluiſſe, ſi conjugium æquè atque domicilium illi diſplicuiſſet.

Deinde, principum urgent conſtitutiones etiam civiles, quibus leviri cum fratriis copulari prohibentur: unam ſcilicet *Valentiniani*, alteram *Zenonis*, tertiam *Anaſtaſij*. Harum prima fratriæ ducendæ licentiam omnem ſummovet. Secunda vetat mores ſequi *Aegyptiorum*, qui fratrum mortuorum conjuges ſibi in matrimonium ſumpſerunt, ſi illas virgines permanſiſſe crederent: reprehenditque illos legum conditores, quibus nuptiæ non videntur, ubi conjuges corpore non convenerunt. Tertia turpiſsimum conſortium interdicit, cum ea, quæ cum fratre nuptiali jure priùs havitavit, & nuptiarum jure carere pronunciat. Sed verbo reſpondemus, conſtitutiones iſtas à naturæ fonte minimè dimanaſſe, tantùm civiles & (ut loquuntur) poſitivas eſſe, atque igitur ab arbitrio nutuque principum dependere. Nam cum princeps legibus ſit ſuperior, ille leges, quas ipſe poſuit, ſaltem nec divinum jus nec naturale tangentes, poteſt vel omninò tollere, vel etiam ex æquitate, per privilegium alicui ſingularitèr indultum coarctare atq; comprimere. *Romani* legibus ſuis vetuerunt *tutorem vel pupillam ſuam uxorem ducere, vel filio ſuo in matrimonium dare*. Item *eum qui in provinciâ officium aliquod ageret, conſentire filio ſuo illic uxorem ducenti*: deniq; *homines patricios conjugia cum plebe exercere*. Sed quòd *Romanorũ* politeumati hujuſmodi ſcita cõcinna atq; accõmodata viderẽtur, non tamen hinc ſequitur quẽlibet ubiq; populũ eiſdem

L.5,8,9.cap. de inceſt.nup.

L.30.ff. de th. & S.c.

L.15.59.ff. de rit. nupt.

L.57.eod.

L.6.23.eod.

eiſdem etiam obligari. Imò verò de Senatorum plebiſque conjugiis ne *Roma* quidem ipſa ſemper ſibi conſtitit. Nam ſubſequentia tempora tantum *Novel.117. cap.4.* de antiquâ illa ſeveritate remiſerunt, ut etiam patricios mulierculas non plebeias tantùm, ſed etiam libertinas, modò honeſtas, matrimonio ſibi jungere permiſerint. Videtis igitur leges iſtas civilem tantùm parere obligationem, nec diutiùs obſervandas eſſe, quàm ipſis latoribus viſum fuerit. Longè diverſa eſt ratio juris naturalis, id eſt, ejus quod humanæ naturæ communis ratio inter homines conſtituit & in forum traducit. Hoc enim, quià ſemper bonum & æquum eſt, nullis imperij terminis definitur, ſed ab omnibus gentibus peræquè cuſtodiri debet. *Nam naturalia jura divinâ quâdam providentiâ conſtituta, ſemper firma atque immutabilia permanent*: ut ſcitè *Iuſtinianus* in Inſtitutionibus. *Parag.11.de jur.nat.gent. & civ.* Quocum etiam pulchrè conſentit *Ariſtoteles*, qui *ius* quo utimur in civitatibus, aliud *naturale*, aliud *legitimum* faciens, *naturale* dicit τὸ πανταχοῦ τὴν αὐτὴν *Ethic.5.cap.7.* δύναμιν, καὶ οὐ τῷ δοκεῖν ἢ μή. Civile quidem, τὸ δ' ἐξ ἀρχῆς μὲν οὐθὲν διαφέρει οὕτως ἢ ἄλλως. ὅταν δὲ θῶνται, διαφέρει.

Sed expectare vos video ut oſtendam illud *Moſis* de fratria non ducendâ ſcitum legitimum eſſe tantùm, minimeq; à naturâ profluere. Certè hoc non dubito, paucis ſic vobis me demonſtraturum, ut vel acerrimi omnium noſtri reprehenſores (ſi nunc hîc eſſent) injurioſas illas calumnias, quibus nos quotidiè onerant, non ſine pudore revocarent. Illud *Moſis* edictum judiciale fuiſſe, atque igitur eum Iudaiſmo ſic tanquàm expiraſſe & evanuiſſe, ut jam neceſſitatem aliquam obedientiæ non vendicet, ſuadet primùm diverſitas

versitas pænarum, quæ hominibus contrà præcepta illa uxores ducentibus infliguntur: Nam *qui suprà uxorem filiam duxerit matrem ejus, scelus operatus est, & vivus ardebit cum eâ. Qui accepit sororem suam filiam patris sui, vel filiam matris suæ, & viderit turpitudinem ejus, illaq; conspexerit fratris ignominiam, nefariam rem operati sunt: Occidentur in conspectu populi sui, eò quòd turpitudinem suam mutuò revelaverint.* At paulò pòst, *Qui coierit cum uxore patrui vel avunculi sui, & revelaverint ignominiam cognationis suæ, portabunt ambo peccatum suum, absque liberis morientur. Qui duxerit uxorem fratris sui, rem facit illicitam, turpitudinem fratris sui revelavit, absque liberis erunt.* Ex istis igitur perspicimus, *Mosen* illos qui in primo affinitatis gradu contrahunt, eodem plectere supplicio, quo Zodomitas, qui contra jus naturæ cum masculo & jumento coeunt. Cum ad secundum gradum perveniat, ejus violatoribus nullam pænam corporalem imponit, sed illos (ut videtis) sterilitate tantùm castigat. At si contrà naturam æquè peccarent isti atque illi, qui primi gradus vincula prorumpunt, aut æquali pænâ coercendos, aut saltem nimis imperitum legislatorem *Mosen* fuisse sequetur. Atqui *Mosen* hic reprehendere non possumus, nisi etiam ipsius numinis æquitatem in dubium vocare voluerimus. Nihil enim illic præceptum esse credimus, quod *Deus* ipse nō imperavit: *Deus* autē non justus solùm, sed ipsa justitia est, qui nihil velle potest injustum, sed omnia quæ vult, ideò justa facit quia vult.

Levit. 20. 14, 17.

vers. 13. & 15. eod.

Deindè, si illa ducendæ fratriæ prohibitio à jure naturali derivata fuisset, non solum *Iudeos*, sed & omnes nationes devinctas teneret, quæcunq; juris naturalis sen-

sum aliquem habuerunt. At gentes, quæ tamen naturæ luce minimè caruerunt, nihil magis quàm hujusmodi conjugia frequentarunt. Nam & ex *Adelphis* & *Phormione Terentij*, satis liquet legẽ *Athenis* fuisse, ut orbæ eis nuberent, qui sanguine proximi essent. Hoc etiam de *Aegyptijs* testatur *Zeno* imperator. Sed res est manifestior, quàm ut egeat confirmatione. Nam & apud *Persas* duas sorores *Cambyses* duxit: sed ne quis hoc vitio illis vertat, ac si hîc illicitum quicquam perpetrassent, illustrisimum illud *Iudæ* exemplum rem omni cõtroversiâ liberat. Ille enim multos annos ante legem à *Mose* datam, unicam mulierẽ duobus filiis suis ordine dedit, tertio etiam nuptiis adhuc immaturo despondit: quod certè vir tam pius cum naturæ injuria nunquàm fecisset. Sed & factum illud *Deus* ipse manifestè cõprobavit. Nam cum *Onanem* patris mandatum detrectare, fratriq; suo majori jam defuncto semen invidere perspiceret, tantam improbitatem morte vindicavit. Huic *Iudæ* exemplo non disimile est illud *Iacobi*, qui etiã duabus sororibus *Lea* & *Racheli* se junxit, idq; eodẽ tempore. Cum tamẽ *Moses* in *Levitico* jubeat, *te sororem uxoris tuæ in pellicatũ illius non accipere, nec revelare turpitudinem eius adhuc illâ vivẽte*, apud quemcunq; populum hæc matrimonia interdicta sunt, efficiũt hæc tum ethnicorũ, tum *Patriarcharum* conspirantia facinora, ut credam tales leges civiles tantùm & ad externã potiùs honestatem, quàm naturæ imitationẽ fuisse positas. Non ignoro esse aliquos, qui *Deum* hanc libertatem temporibus illis extrà ordinẽ elargitum fuisse prædicant: aliquos etiã qui *Patriarchas* illos peccati propter talia conjugia, coarguere minimè reformidant. Sed illi hallucinantur, hi cum hallucinatione conjungunt etiam

Teraq. lib. 7. connub.

lib. 8. ca. de incest. nup.

Alex. ab Alex gen. dierum l. 1. c. 24.

Gen. 38.

Gen. 29.

Cap. 18. v. 18.

versitas pænarum, quæ hominibus contrà præcepta
Levit. 20. 14, 17. illa uxores ducentibus infliguntur: Nam *qui suprà uxorem filiam duxerit matrem ejus, scelus operatus est, & vivus ardebit cum eâ. Qui accepit sororem suam filiam patris sui, vel filiam matris suæ, & viderit turpitudinem ejus, illaq; conspexerit fratris ignominiam, nefariam rem operati sunt: Occidentur in conspectu populi sui, eò quòd turpitudinem suam mutuò revelaverint*. At paulò pòst, *Qui coierit cum uxore patrui vel avunculi sui, & revelaverint ignominiam cognationis suæ, portabunt ambo peccatum suum, absque liberis morientur. Qui duxerit uxorem fratris sui, rem facit illicitam, turpitudinem fratris sui revelavit, absque liberis erunt*. Ex istis igitur perspicimus, *Mosen* illos qui in primo affinitatis gradu contrahunt, eodem plectere supplicio, quo Zo-
vers. 13. & 15. eod. domitas, qui contra jus naturæ cum masculo & jumento coeunt. Cum ad secundum gradum perveniat, ejus violatoribus nullam pænam corporalem imponit, sed illos (ut videtis) sterilitate tantùm castigat. At si contrà naturam æquè peccarent isti atque illi, qui primi gradus vincula prorumpunt, aut æquali pænâ coercendos, aut saltem nimis imperitum legislatorem *Mosen* fuisse sequetur. Atqui *Mosen* hic reprehendere non possumus, nisi etiam ipsius numinis æquitatem in dubium vocare voluerimus. Nihil enim illic præceptum esse credimus, quod *Deus* ipse nō imperavit: *Deus* autē non justus solùm, sed ipsa justitia est, qui nihil velle potest injustum, sed omnia quæ vult, ideò justa facit quia vult.

Deindè, si illa ducendæ fratriæ prohibitio à jure naturali derivata fuisset, non solum *Iudæos*, sed & omnes nationes devinctas teneret, quæcunq; juris naturalis sen-

sum

sum aliquem habuerunt. At gentes, quæ tamen naturæ luce minimè caruerunt, nihil magis quàm hujusmodi conjugia frequentarunt. Nam & ex *Adelphis* & *Phormione Terentij*, satis liquet legẽ *Athenis* fuisse, ut orbæ eis nuberent, qui sanguine proximi essent. Hoc etiam de *Aegyptijs* testatur *Zeno* imperator. Sed res est manifestior, quàm ut egeat confirmatione. Nam & apud *Persas* duas sorores *Cambyses* duxit: sed ne quis hoc vitio illis vertat, ac si hîc illicitum quicquam perpetrassent, illustrissimum illud *Iudæ* exemplum rem omni cõtroversiâ liberat. Ille enim multos annos ante legem à *Mose* datam, unicam mulierẽ duobus filiis suis ordine dedit, tertio etiam nuptiis adhuc immaturo despondit: quod certè vir tam pius cum naturæ injuria nunquàm fecisset. Sed & factum illud *Deus* ipse manifestè cõprobavit. Nam cum *Onanem* patris mandatum detrectare, fratriq; suo majori jam defuncto semen invidere perspiceret, tantam improbitatem morte vindicavit. Huic *Iudæ* exemplo non dissimile est illud *Iacobi*, qui etiã duabus sororibus *Lea* & *Racheli* se junxit, idq; eodẽ tempore. Cum tamẽ *Moses* in *Levitico* jubeat, *te sororem uxoris tuæ in pellicatũ illius non accipere, nec revelare turpitudinem eius adhuc illâ vivẽte*, apud quemcunq; populum hæc matrimonia interdicta sunt, efficiũt hæc tum ethnicorũ, tum *Patriarcharum* conspirantia facinora, ut credam tales leges civiles tantùm & ad externã potiùs honestatem, quàm naturæ imitationẽ fuisse positas. Non ignoro esse aliquos, qui *Deum* hanc libertatem temporibus illis extrà ordinẽ elargitum fuisse prædicant: aliquos etiã qui *Patriarchas* illos peccati propter talia conjugia, coarguere minimè reformidant. Sed illi hallucinantur, hi cum hallucinatione conjungunt

Teraq. lib. 7. connub.

lib. 8. ca. de incest. nup.

Alex. ab Alex gen. dierum l. 1. c. 24.

Gen. 38.

Gen. 29.

Cap. 18. v. 18.

etiam

etiam impietatem. Qui *Deum* hos quaſi nævos in illis tolerаſſe credunt, perpendant rectè tam triceſimum octavum, quàm viceſimum nonum *Geneſeos*, & non dubito, quin & illud *Iudæ* & hoc *Iacobi* abſolutè comprobaverint. Nam novum & inauditum aliquod attentando ſi dolorem parentibus ſuis vel conſanguineis non injeciſſent, tamen, ad minus, dubitandi cauſam aliquam præbuiſſent. At nemo eſt qui vel de hujus vel illius facto quicquam interrogat, multo minùs qui queritur. Nemo qui quicquam ab illis perpetratum exiſtimat, quod loci temporumq; conſuetudo optimè non tulit. Illorum ſententia, qui hîc deliquiſſe viros tantos ſomniant, è ſcholis meritò exploditur. Nam vix diceret cardicius aut phreneticus aliquis ſanctiſsimos Patres, *Deo* ſemper charos peramatoſq;, vel tam turpitèr peccare, vel in peccato tam diſſolutè, tamq; pertinacitèr uſq; ad extremum vitæ diem hærere voluiſſe. Certè tam iſtis fides adhibenda eſt, quàm ethnicis, qui *Iovem* deorum patrem, & tamen communem mæchum faciunt.

Præterea illud *de non ducendâ fratriâ* præceptum, Iudæorum proprium minimeq; vel perpetuum, vel omnibus generale eſſe, hoc unicum apertiſsimè convincit, quia conjugium in eodem affinitatis gradu, quo levir à fratriâ diſtat, permittitur atque probatur. Nam natura in rebus ſimilibus ſimilem ſemper rationem ſequitur, neque eſt ubi ſibi ipſi non conſtat. Cum igitur leges leviticæ patruum & avunculum cum nepte & fratre, nepotem verò cum amitâ & matertерâ, maritum etiam cum ſorore uxoris defunctæ conjungi patiantur, fratris tamen mortui

viduam

viduam accipere non sinat: quid dubitamus scitum hoc judiciale dicere, *Judæisq;* solis astrictum, & ab ejus onere Christianos omnes prorsus liberare? Sed dixerit aliquis *Mosen* de patruo & avunculo nihil expressè statuere, atq; igitur à paribus concludendum, inter illos etiam matrimonia prohiberi, quià inter hos prohibentur. Verùm intelligant qui sic ratiocinantur, leges prohibentes odiosas esse, odiosas autem non laxandas, sed restringendas potiùs & contrahendas. Ponamus igitur legislatorem de hoc leviri cum fratriâ conjugio nihil dicere, & nihil impedit, quò minùs tutò coire posit. Bellar. c. 27. de nat. Sacr.

Hîc minimè prætereundum censeo præceptum illud quo prohibemur, *Sororem uxoris nostræ in pellicatum ejus accipere, vel revelare turpitudinem ejus, adhuc illâ vivente.* Concedent enim adversarij nostri, ni fallar, mortuâ uxore hoc posse fieri. Quià secùs verba illa *adhuc illâ vivente* prorsus superflua & ociosa sunt. At si mortuâ uxore, posim ejus sororem ducere: quid impedit, quò minùs à paribus concludam, cum fratris etiam defuncti viduâ me posse contrahere matrimonium? Neq; illud nobis incommodum est, quod inter gradus præfatos conjugia rarò connectantur. Nam nos non quid fit, sed per naturæ legem quid posit fieri, dispicimus. Illa enim, utcunq; priùs libera cuiq; fuerunt, ab illo tamen tempore, quo Ecclesia propter justitiam publicæ honestatis ea nobis interclusit, non sine veniâ summi Pontificis ineuntur. Vndè Consuetudo (quæ est altera natura) jam tandem effecit, ut ferè quilibet è vulgo ab hujusmodi conjunctionibus, tanquàm incestuosis simplicitèrque malis, mentem abhorrentem gerat. Neque quidèm in legibus connubialibus hoc solùm usu venit, sed in omnibus quascunque temporis Levit. 18. vers. 18. Vide Bellar. cap. 27. p. 50?.

poris diuturnitas hominum animis paulò altiùs impresserit. Hinc fit, ut tempore quadragesimali, multi, licet in summo vitæ discrimine constituti, ad carnium gustationem nè pertrahi quidèm posśint. Quippè tàm crassa erroris caligine obfuscantur, ut existiment nullo omnium flagitio *Deum* graviùs incitari: cùm tamen nemo sit vel in historiâ aliquantulum versatus, vel religionis disciplinâ mediocritèr imbutus, qui non intelligit illos graviùs delinquere, quàm si integrâ valetudine carnibus vescerentur. Hæc enim tàm solennis abstinentiæ jusśio ab Ecclesiâ primùm profecta est, nec optimâ ratione caruit: tantâ tamen religione non obstringitur, qui Ecclesiæ ductores quadraginta dies illos diminuere, tollere, vel etiam ad quemlibet majorem numerum augere posśint. Idem in sepulturis apertisśimè liquet. Nam hunc sepeliendi morem quo utimur, tàm mordicùs obnixèque complectimur, ut mortuorum corporibus in sacrato cœmeterio minimè reposìtis nescio quid mali ominemur. Atque igitur illos, qui sibi ipsis mortem consciscunt, hunc honorem denegamus, utpote qui injussu numinis à quo creati sunt, de præsidio & statione hujus vitæ discesserunt. Quis tamen ità est ab omni pietate alienus, ut neget illorum corporibus mare gloriosisśimum sepulchrum, & animabus cœlum augustisśimum domicilium paratum esse, qui, sub *Lauredano* Imperatore nostro, ad *Naupactum* contrà *Sultanum* illum bello nautico dimicantes, in fidei Christianæ defensione tàm fortitèr occubuerunt. Possem vobis plurimas tùm Ethnicorum tùm *Iudæorum* leges recensere, quas qui subditi illis erant, non sine justisśimo mortis supplicio

Mar. Crus. lib. I. Turcogræc.

cio violarunt, nos tamen obſervare ſine ſimili pœnâ non poſſumus. Sed inſtar reliquarum omnium erit illa de carne porcorum refugiendâ. Vtcunque enim *Eleazarus* materque cum ſeptem ſuis filijs ad æternam ſuam non ſolùm laudem in terris, ſed in cœlis etiam beatitatem, ejus legis æquitatem ſanguine ſuo conſignârunt: quià tamen cæremonialis fuit,& *Chriſti* noſtri adventu tanquàm nubecula ortu ſolis diſjecta & profligata eſt, nos non minori cum periculo illam tueremur, quàm *Hebræi* deſeruiſſent. Vt igitur philoſophi dicunt ipſarum civitatum fatales quaſi eſſe periodos: ſic ex iſtis nos apertiſsimè perſpicimus legum ſaltèm civilium eſſe certos terminos. Nam magnæ multæq; rerum humanarum ſunt varietates mutationesq;: & occaſiones ut oriuntur ſic intereunt, legesq; primò utilitèr rogatas, inutiles tandem faciunt Reipub. aptas & concinnas, ineptas atq; diſpares reddunt. Atq; hoc in causâ fuit, quòd quidam legiſlator (cujus nomen mihi non occurrit) ultrà centum annos cives legibus ſacris obligari minimè vellet.

Dicit divus *Petrus* προσωπολήπτην οὐκ ἐστὶ τὸν θεόν. Quo- Act.10.34.
modò igitur fieri poteſt, ut ille rem eandem *Iudæos* facere jubeat,& gentes vetet? ut illos ad aliquid obſervanvandum ſpe præmij illiceat, has ab eodem ſupplicij metu deterreat? Concedamus mortalium νομοθέταις vel prudentiſsimis leges non ſolùm diverſas, ſed & contrarias ſæpè placuiſſe: at *Deus* noſter *Iehovah* illam & ſapientiæ & conſtantiæ exiſtimationem apud omnes jure ſuo vendicat, ut nihil unquam credatur populo cuiquam præſcribere, quod bonũ non ſit atq; æquum. Quare ſi illius contrarium aliæ nationi imponeret, quid ni diſparem ſuam affectionem ſtatim prodat & diſsimilem? Hoc enim apertè dicere videretur: Vobis

Sic ratiocinatur quidam ἀνώνυμος hâc in causâ, qui ἀπολογίαν γέγραφεν.

(*Iudæi*) quià majori pretio vos habeam, hanc prærogativam indulgeo, ut fratrum sine liberis mortuorum viduas ducere possitis: at gentibus utcunque etiam in familiam nostram ascitis, adventitiis tamen atque exteris hanc libertatem denego prorsus & interdico. Hoc cum προσωποληψίαν apertè indicet, à *Deo* procul abesse debet. Nam post velum templi diffisum, post omnes in unam *Abrahæ* progeniem cooptatos, vel *Christi* potiùs ovile collectos δι' οὗ νῦν καταλλαγὴν ἐλάβομεν, ut
Rom.5.11. inquit Apostolus, omni differentiâ distinctioneque
Rom.3.29. sublatâ, qui *Iudæorum* tantùm fuerat, Gentium etiam factus est *Deus*.

Ad memoriam vestram revocate illud *Mosis*, *Hæc est vestra sapientia & intellectus coram populis, ut audientes universi præcepta hæc, dicant, En populus sapiens & intelligens, gens magna, nec est alia natio tàm grandis.* Nùm ità vel hebetem existimabimus vatem illum, ut nesciret gentes solam naturæ legem amplecti & probare, vel tàm imprudentem & supinum, ut *Iudæos* tantas laudes à Gentibus sperare juberet propter leges à naturâ, quam solam ducem illæ sequebantur, tàm abhorrentes & alienas? Inter hominem & belluam hoc maximè interest, quòd hæc solùm quod adest, quodq; præsens est, videat: homo autem non ad id solùm quod ante pedes est, se accommodet, sed etiam res futuras cogitatione suâ ponderet ac expendat. Putemus igitur *Mosen* humanâ tantùm mentis facultate fuisse præditum, à *Deo* in legibus suis ferendis minimè adjutum concedamus: tàm insigni tamen suæ apud *Iudæos* existimationis negligentiâ & incuriâ nunquàm diffluxisse credendus est, ut non quàm optimam posset tùm sui memoriam, tùm decretorum suorum venerationem

venerationem illis relinqueret. Hoc se scivit nunquàm effecturum, nisi post ejus mortem tantos honores sibi ex illorum statutorum observatione redundare illi perspexissent, quantos ipse fuerat pollicitus. Atq; hoc non levi argumento est, *Mosen* non solùm bonas leges Hebræis præscripsisse, sed etiam illorum judicijs accommodatas, qui ex solâ naturæ luce res discernunt. Alitèr enim vetuisset populum eum à gentium & pagagorum opinione dependere, dixissetq; leges suas *Deo Opt. Max.* placere, utcunque ethnici hoc tantùm sapientes quod per naturæ jam depravatæ reliquias potuerunt, illas fortè reprehendere non dubitarent. Hoc autem *Mosis* promissum plurima subsequentium temporum exempla confirmant: sed reliquorum non minimum mihi videtur illud *Achioris* testimonium in oratione suâ apud tetricum illum *Holofernem*, quâ dehortabatur tàm bellicosum Imperatorem, tantoq; exercitu *Iudæos* ad bellum provocare, nisi priùs eos legum suarum violatione *Deum* suum ad iracundiam concitasse comperisset. Nam ipsa rei veritas huic *Ammonitæ* summam istarum legum commendationem videtur expressisse. Atque hæc mihi satis & multa & efficacia videntur ad evincendum quod probare constitueram. Sed esto natura mater illius legis *Leviticæ* (nam disputationis causâ hoc adversarijs nostris elargiemur) tamen si & illa *Deuteronomij* ab eâdem stipite effloruerit, nihil illis relinquitur in quo gloriari possunt. Hoc quoniàm ab incultâ istâ oratione fastidium ac satietatem paulò alieniores vos reddidisse suspicor, paucissimis commonstrandum esse censeo.

Iudith. cap. 5.

Omnes ferè qui de matrimonio quicquam scriptis tradiderunt, duplicem ejus finem constituunt, liberorum

Francisc. Victoria relectio 7. de matrim. sect. 2. part. 2.

rum procreationem & mutuã operam in illis officijs, quibus vita communis præcipuè continetur. Eas ergò solas conjunctiones natura respuere videtur & aspernari, quæ utriq; huic bono minùs inserviunt. Istiusmodi sunt connubia matrum cum filijs, quià reverentia quædam naturalitèr insita filium non patitur à matre suâ exposcere tantum obsequium, quanto uxor erga maritum obligatur. Etiam patrum cum filiabus, quia cum uxor societatis æqualitatisq; jure cum viro copuletur: filiam opinio secum paritèr nata docet, vel summam industriam patri deberi, nullam, quam ipse sponte non præstat, ab illo vendicari. Cùm ergò nihil sit in leviri fratriæq; conjugio, quod cum horum alterutro non satis aptè cohæreat: multùm illi meo judicio hallucinantur, qui idem naturæ legibus repugnare contendunt. Vir si uxori aliquid imperet, hæc nullo defenditur privelegio, quò minùs jussum exequatur: uxore rogante quod justum est, ille causam denegandi quam prætexat, non habet: neutri eorum, cùm conjunx liberiùs injuriam aliquam expostulet, disparilem exprobrandi statum opportunitas aliqua conceditur. Quemadmodùm ergo illa videtur esse conditio omnis matrimonij, ut, licet jure naturali non prohibetur, inter minora tamen bona locum habeat, & cum cælibis vitæ præstantiâ maximè conferatur: sic & hoc forsan de ducendâ fratriâ interdictum ejus generis est, ut cùm naturæ lege satis consentiat: tamen propter publicam honestatem non tàm facilè permittatur, nisi necessitas aliqua vehementiùs hoc exposcat.

Mat 22. vers. 24. & seq. *Sadducæos* disciplinæ nostræ de corporis resurrectione hostes acerrimos mundi servatorem quæstione

ſtione illâ tentaſſe noſtis, eum interrogantes, Cujus uxor in die reſurrectionis illa mulier futura eſſet, quæ ſeptem fratribus ſine ſemine defunctis ordine nupſiſſet. *Chriſtus* illis reſpondet, *Erratis neſcientes Scripturas, neque virtutem Dei: In reſurrectione enim neque nubent, neque nubentur.* At ſi tale conjugium nefarium duxiſſet & adulterinum, declaraſſet procul dubio tam horrendi ſceleris nomen ipſum aures ſuas reſpuiſſe, mulieremque illam tam fœdæ turpitudinis apertè condemnaſſet. Ille omnem talis matrimonij reprehenſionem prætermittit, ac ſi rem agnoſceret non licitam modò, ſed etiam uſitatatam, mulieri huic locum in reſurrectione concedit, quam ſi tanti criminis ream judicaſſet, quantum noſtri reprehenſores in leviri cùm fratriâ conjugio conſtituunt, nunquàm taciturnitate facinus ſuum comprobaſſet, ſed adulteram è cœlo præcipitandam oſtendiſſet. Sed dixerit aliquis, ad illud tantum reſpondiſſe *Chriſtum* quod ab eo fuit interrogatum, & licet hujuſmodi conjugiorum cum fratribus accumulationem jam cohibendam eſſe videret, hâc tamen de re reticuiſſe mentem ſuam, quià *Sadducæi* hoc in diſceptationem queſtionemvè non vocârant, ſed doctrinam potiùs de reſurrectione, (quam *Chriſtum* diſſeminaſſe cognoverant) à vi tamen ſui argumenti vindicare poſſe minimè ſuſpicabantur. At certè non eſt veriſimile, *Chriſtum* hanc veritatis aperiendæ tam aptam occaſionem prætermittere voluiſſe. Nam ad orbem religionis puritate colluſtrandum illuminandumq; acceſsit; atq; igitur non tantùm quid interrogabatur, ſed quicquid ad Chriſtianorum eruditionem neceſſarium duxit, ille ſemper & ubiq; locutus eſt.

Ad hanc rationem accedunt etiam testimonia doctissimorum hominum. Nam & Glossa ordinaria in illam ipsam legem, quâ pars adversa tam seriò nititur, hæc verba habet. *Sic ergò est accipiendum. Non licet uxorem ducere defuncti fratris, si defunctus posteros reliquit.* Videtis hujus glossæ authorem, quem omnia semper secula comprobârunt, eodem honore duas istas leges fuisse prosecutum, sicq; priorem interpretari, ut posterioris casu cessante locum tantùm habeat. Idem etiam subtilissimus acutissimusq; *Lyranus* eodem in loco confirmat. *Non revelabis turpitudinem uxoris fratris tui: Intelligendum mortui fratris cum liberis. Quià licet ducere uxorem sine liberis, ex Deuteronomij* 25.

In Levit. 18.

Sed humana autoritas præ divino judicio nè minimi momenti quidem instar obtinet. Gloriosissimus celsissimusque Apostolorum cætus publico consilio suo nostram hanc disciplinam præclarè corroborat. In illa quasi herba ecclesiæ Christianæ, quidam *Iudæorum* (teste Sancto *Lucâ*) evangelium *Christi* non imbiberant, sed tamen à lege *Mosaicâ* non satis adhuc ablectati, cæremonias illas veteres nimis arctè complectebantur, putantes eas nisi cum periculo salutis, alicubi non posse violari. Vnde Apostolorum Seniorumq;, qui tùm *Hierosolymis* fuerant, Senatus hâc de re convocatus itidem sic decrevit. *Visum est Spiritui sancto & nobis nihil ultrà imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria: ut abstineatis ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione, à quibus custodientes vos benè agetis.* Hæc Apostoli scripserunt ad Antiochenos, quibus imperiti illi concionatores legis *Mosaicæ* retinendæ necessitatem persuaserant: *Antiochenorum*

Act. 15. vers. 1. cum sequ.

Eodem, vers. 28, cum seq.

tiochenorum autem nomine, ad omnes Christianos spirituali communione inter se devinctos atque copulatos. Hîc patet, eos non suâ tantùm, sed & spiritus sancti authoritate fretos, ab illius veteris jugi pondere cervices nostras liberasse, & in novam quandam Iudæisque nunquam speratam immunitatem asseruisse. Cum autem minimè dubitandum sit, quin multi, præsertim *Hebræi*, qui tunc temporis spiritum duxerunt, fratrum suorum sine liberis mortuorum uxores matrimonio sibi junxissent: de his tamen ne verbum quidem faciunt. At si judicasset illa cum evangelicâ puritate congruere non posse, certè principiis obstitissent, & tam pravam tamque turpem deformitatem ab ecclesiæ facie, tum cùm in incunabulis esset, nullo negotio abstersissent: quam altiùs impressam sine gravissimo totius corporis dolore periculoq; nunquàm exscindi posse, pro summâ prudentiâ suâ, cognoverunt. Ex his igitur, ni fallar, luce clarius apparet, utramque illorum legem pari dignitate esse, neque unam sine alterâ rectè posse consistere.

Hoc tantùm restat, ut demus esse dispares, vel, si volueritis, illam *Leviticam* tantùm à *Mose* vel *Deo* profectam, hanc *Deuteronomicam* à vafro aliquo impostore nobis obtrusam, & tamen ostendamus contrà eam fratriæ ducendæ prohibitionem, summum Pontificem ex justâ causâ privilegium alicui posse concedere. Ac primùm, si judicialem fuisse illam fateamur, nullam res habet dubitationem. Imò potiùs nullo opus est privilegio, quia solos *Iudæos* obstrictos tenuit, ad hæc nostra tempora vel non omninò, vel saltem non ex necessitate pertinet. Ponamus igitur singula præcepta quæ *Moses Iudæis* de matri-

monio tradidit, esse perpetua, nec illis solùm, sed & nobis esse data. Num igitur ipsis verborum apicibus sic astringi nos existimabimus, ut ab illis nullo modo liceat recedere? Imò verò res humanæ tantâ semper vacillant inconstantia, tamq; multiplici varietate implicantur, ut nullum capiant præceptum tam absolutum, quod interpretatione magistratus aliquandò suppleri atque adjuvari non debet. Vnde *Cicero* Magistratum legem loquentem appellat: quia nimirùm singulis hominum actionibus universalia legum præcepta inflectendo, nec ipsarum verbis nimiùm adhæ-rescit, nec ab æquitate vel religione unquam recedit. Atque igitur *Aristoteles* ille philosophorum facilè princeps, hominis quàm legis imperium præstantius esse tenet: quia incidunt sæpè casus à legislatoribus ne cogitati quidem, quibus scita illa generaliter proposita sine summâ injustitiâ applicari non possunt. Nam homines omnium prudentissimi nunquàm tam acutâ mentis sunt acie, ut rem aliquam inveniant pariter atque perficiant: sed tam hebeti potiùs & imbecillâ, ut in singulis suis actionibus cogantur subsidio sibi experientiam comparare, quæ sine tempore longâque observatione rerum nulla esse potest.

De leg.

Pol.3. cap. 16.

Vt hæc brevi exemplo collustrentur, permittit Christus conjugem adulteram abdicare. *Alexandro* ejus nominis tertio Pontificatum summum occupante, quidam uxorem in adulterio deprehendit, &, implorato Iudicis officio, illam segregare cupit. Illa supplex crimen fatetur, sed dicit impuritatem viri sui ipsam in hoc scelus impulisse, quià ille pedissequam quandam suam sæpius compressit, atque ita jus thori prior violavit. Et hoc non dicit solùm, sed testibus etiam probat.

Mat. 19.9.

Quid

Quid ageret judex? Lex apertè loquitur, separari debere hanc fœminam: At æquitas contrà suadere videtur, nec ferendum esse, ut qui ipse obscœnus, uxorem impudicitiæ nomine repudiet. Papam igitur hâc de re consulendum esse censet. Ille autem rescribit hoc casu compensationem criminis fieri, nec audiendum esse, qui fœminam eadem labe tinctam, quâ ipse conspersus est, studet abigere. Atque ex hoc perspicuum est, soluta potestas magistratus quantam necessitatem habet ad legum asperitatem leniendam & quasi condiendam. Si enim leges sic imperarent, ut nec explicationem aliquam recipere possent, præter illam quam ipsa verba præ se ferunt, plus mali quàm emolumenti civitatibus afferrent: siquidem summum semper urgerent jus, quod prudentes meritò summam injuriam semper existimarunt. Cap.4.ext.de divor.

Ab hoc fonte privatæ illæ leges primò fluxerunt, quas *privilegia* dicimus. Nam utcunque sola æqualitas cives communi societatis vinculo inter se connectere dicatur, ipseq; *Aristoteles* inæqualitatis suspicionem, seditionis matrem in plerisque civitatibus extitisse scitissimè prædicet: vera tamen æqualitas proportione geometricâ multò potiùs continetur, quàm ista ponderum atque mensurarum æquilibritate. Duplex est justitiæ munus, unum in distribuendis rebus, alterum in commutandis positum: & hoc licet habeat in omni civili societate locum: illud tamen & dignitate & difficultate multùm antecellit. Nam ordines civium distinguit, merita perpendit, & cuilibet pro dignitate præmia tum in pace, tum in bello decernit. Hinc videmus, leges militibus multa elargiri privilegia, quæ paganis denegant: multa Senatoribus, 5.Pol.cap.1.

natoribus, quibus plebem indignam putant: multa hominibus literatis, quæ artificibus minimè permittunt. Neque propter hæc statim existimandum est, æqualitatem è civitate tolli, nec clamandum cum *Thrasymacho*

1. lib. de Rep.

illo apud *Platonem* πανταχοῦ εἶναι τὸ αὐτὸ δίκαιον, καὶ τὸ τοῦ κρείττονος συμφέρον. Nam ista licet illos præ cæteris beent, quibus conceduntur: tamen & bonum publicum non mediocritèr augent atque promovent. Cives enim ad illarum rerum studium plurimùm incendunt, quibus reipub. salus atque dignitas maximè continetur. Quis ergò non videt privilegiorum summam æquitatem? quis non fatetur eorum in omni benè constitutâ Repub. necessitatem? Sed tamen illa, cùm legibus derogent, cùm invidiam imperitæ multitudinis in illos ferè conflent & accumulent, quibus conceduntur, eâ cum moderatione dari debent, ut nec jus tertij cujusquam lædant, & à justâ aliquâ causâ

L. 4. C. de emanc. lib. l. 2. par. 10. π. ne quid in lo. publico.

semper proficiscantur. Nam omnes tam politici, quàm jurisconsulti tenent, magistratum à communi legum præscripto nusquàm rectè discedere, nisi cùm æquitas hoc manifestè postulet. Hæc autem æquitas privilegiorum eisdem exoritur fundamentis, quibus ipsæ leges, honore *Dei* scilicet, & publicâ tum honestate tum utilitate. Quapropter & illa jam rectè concessa, si progressu temporis horum alterutrum graviùs oppugnare videbuntur, revocantur statim ab ijsdem, à quorum jurisdictione profecta sunt.

Arg. c. 16. ext. de decim. & cens.

Has leges, quas Iurisconsulti *privilegia* vocant, Pontificij etiam *dispensationes* & *indulgentias* nominant. Papa enim quòd rerum spiritualium curam cum illis claudendi & reserandi clavibus sibi commissam habeat, non solùm multa de illis necessariò jussit

Matth. 16.

jussit, quæ *canones & decretales epistolas* appellamus, sed illis etiam solutus est non minùs quàm Imperator suis legibus. Ità ut vel honore *Dei*, vel justitia publicæ honestatis aut utilitatis sic suadente, super illis dispensare possit, & contrà orationis corticem sic æquitatem sequi, ut quod à verbis est alienissimum, non rarò statuat ac præcipiat.

Sed sunt qui dicunt, ut Imperatorem posse contra verba legum suarum privilegia concedere, non autem divinarum: sic Papam super Canonibus Ecclesiasticis, sed nequaquam super expresso *Domini* præcepto dispensare posse. Multa fatemur esse *Mosis* præcepta, quæ quamvis *Iudæis* solis traderentur, quia tamen à perpetuâ naturæ ratione profluunt, non illos tantùm, sed omnes homines obligatos tenent. Neq; negamus de illorum distinctione peracerbas altercationes viros eruditissimos nonnunquam exercuisse. Quapropter ut nec relinquamus adversariis nostris ubi pedem ponere possint, fingamus jam denuò legem illam esse divinam, æternam, omnibusq; tàm Christianis quàm *Iudæis* communem. Et si nihilominus probaverimus eam Pontificis authoritati subjici, perpetuum silentium istis nos facturos esse confidimus. Disputandi igitur causa putemus mortalibus exinaniri terram, tantùm superstites relinqui quatuor, matrem scilicet cum duobus filiis & unicâ filiâ. An non hoc casu licere credimus filio cum matre, fratri cum sorore coire in matrimonium potiùs, quàm ut humanum genus funditùs extinguatur? Hoc apertè testatum reddunt theologorum judicia de facinore illo filiarum *Loth*. Non enim illos incestus accusant, quoniam ad humani generis instaurationem, Ambros. in. de Patriar.

quod

quod è terris jam periisse existimaverant, patris sui concubitus peterent: sed credulitatis potiùs levitatisque condemnant, quòd cum parvâ gente omnes mortales pariter deletos esse putarent, atque ita nec *Deo* priùs, nec patre consulto, in paternum thorum nimis temerè irruentes, illud non sine gravi scelere commiserunt, quod rebus sic stantibus quemadmodum illæ falsò suspicatæ sunt, cum summæ pietatis laude perpetrassent.

Cum igitur tam fertilis atque copiosa sit rerum humanarum fœcunditas, ut non unam tantùm, sed multas hujusmodi tolerationum causas quotidiè procreet: non potest summa ratione carere hæc tam conspirans consentiensq; & theologorum & Pontificiorum opinio, qua Papam super leges etiam divinas dispensare posse tam confidenter affirmant. At si necessitas earum sit virium, ut consanguinitatis repagula tam facile penetret & perrumpat: certè tantò citiùs affinitatis vincula dissolvet, quantò lentiùs hæc quàm illa mutuâ communione homines inter se connectunt. Quapropter lex ista, quæ fratriæ conjugium leviro interdicit, ut divina perpetuaq; sit, quoniam homines tam importuni hîc nostrâ bonitate abuti volunt, cum tamen aliæ ad primum consanguinitatis gradum spectantes rerum humanarum necessitati cedant, quis hanc tam rigidam, duram, atque rudem existimabit, ut nec honore *Dei* flecti, nec communi honestate emolliri, nec publicâ utilitate moveri possit?

Aquinas. Petrus Archo. Fr. Aretinus. D. Præpositus *Hostiensis.*

Frustra dubitares de causâ, quæ *Iulium* illum ad dispensandum super eas *Henrici* nuptias adduxit. Quippè præter publicam utilitatem, quam tu in narratione

ne tuâ non dissimulabas, Christianæ charitatis cura eum ad hoc vehementèr impulit, quâ per hoc matrimonium duo regna potentissima *Angliam* & *Hispaniam* inter se conglutinari posse Pontifex intellexit. Hoc est illud novum mandatum, quod *Christus* veteribus illis adjunxit, *ut invicem diligamus*. Quod Iohan 13.3 utcunque omnes ore profitemur, quantâ tamen difficultate præstamus, indicant non simultates, quibus privatorum domus quotidiè fervent, sed discordiæ potiùs, conjurationes, tumultus atque bella, quibus & singulæ ferè civitates, atque adeò nationes per universum terrarum orbem inflammantur atque flagrant. At cui horum malorum remedium vehementiùs incumbit, quàm illi quem *Christus* rebus suis usque in reditum suum præfecit? aut quod tam necessarium est præceptum (salvis semper articulis fidei primâq; tabulâ *Decalogi*) ut hujus conservandi causa aliquantulum premi vel torqueri non posit? Iubemur honorare A parentes, nec verbis solùm & externo gestu revereri, sed omnibus quibus possumus vitæ pietatisq; officiis colere atq; juvare. Sed quid si pater ærarium publicum expilaverit? si Christianorum exercitum truculentissimo illi Sultano prodere conetur? Vetatur homicidium. Sed quid si à grassatore vel sicario aliquo mortem tibi ipsi pertimescas? quid si ad bellum contrà *Mahometistas* delectus fueris? Interdicitur nobis adulterium, atque illo nomine omnis coitus illicitus. Sed quid si vel pestis vel inundatio vastitatem inducendo genus humanum penè devoraret atq; consumeret, quemadmodum illud quondam diluvium? Furtum prohibetur, & implicitè omnis rei alienæ detentio. Sed quid si furore correptus aliquis gladium reposcat, quem

quem ſanâ mente depoſuit? ſi perduellis factus aurum exigat in patriæ ſuæ perniciem, quòd cuſtodiæ cauſa tradiderat?

Videtis circumſtantias & occaſiones efficere poſſe, ut, quod ſimpliciter impium eſt, religioſè atque piè; quod inceſtuoſum, purè atque caſtè; quod injurioſum, rectè juſtèque faciamus. Niſi igitur judicium arbitriumque harum rerum difficillimarum ſuum cuique ſolutum atque liberum relinquere voluerimus, præponendus eſt aliquis non ſcitis tantum Eccleſiaſticis, ſed juſsis etiam divinis, à quo, tanquam ab oraculo, Chriſtianus quiſque vitæ ſuæ regulam, & officij quaſi legem petere poſsit. Hanc authoritatem *S. Petri* ſucceſſoribus denegare nemo ſolet, neque aliquis nunc vult, cujus cerebrum rabies *Lutherana* non infecit, vel cor lues *Calviniana* non exedit. Pergant igitur ſchiſmatici pro libidine ſuâ *Iulij* factum illud increpare, pergant ejus manes maledictis ſuis petulanter inſectari. Hoc nos ipſorum malitiæ, non illius merito tribuemus. Te *Hyſtoriographe* non dubito, quin hæc pauca utcunque Rhetorum floſculis nuda atque vacua, poſsint ab errore tuo facilè revocare. Nihil enim fecit Pontifex quod *Moſis* exemplo non fecit, nihil quod à majoribus ſuis factum non viderat. Nam *Innocentius* tertius poſt *Livoniam* numero Chriſtianorum aggregatam, in illo populo fratriarum conjugia toleravit. Et quod magis forſan admirabere, *Martinus* quintus ſuper conjugium fratris atque ſororis diſpenſavit. In iſtis multò copioſior eſſe poſſem, ſed rem apertiſsimam conamur probare: & quoniam illa ſit orationis noſtræ ſiccitas, ut vos oblectare non poſsit, providendum eſt,

Cap. fin. ext. de divor. Arch. Flor. in ſumma.

eſt, nè propter longitudinem faſtidijs veſtris adhæreſcat. Nam aut nos multùm fallimur, aut hæc luculentèr probant, *Henricum* cum Papæ conſilio & permiſsione *Katharinam*, licet ab *Arthuro* cognitam, prole tamen non auctam, non modò ſine ſcelere potuiſſe, ſed etiam pro officio ſuo tùm in fratrem, tùm in patriæ atque orbis Chriſtianæ tranquillitatem, debuiſſe ducere.

Quamprimùm *Pontificium* orationi ſuæ finem impoſuiſſe *Hiſtoriographus* ſenſiſſet : non facilè credidiſſem (inquit) temeritatem prudentiæ eſſe matrem. Inconſideratè mihi excidit opinio mea, quam tàm de primis, quàm ſecundis *Henrici* nuptijs mente meâ comprehenderam, & videmus, quàm non jucundos ſolùm ſed etiam utiles ſubtilitatis & eruditionis fructus nobis ineptiæ meæ produxerint. Ego hinc didici, parcius in poſterum loqui quod ſentio : vos etiam intelligitis multa dici poſſe pro illo *Iulij* facto, quod ego, in ſedis Pontificiæ gratiam, denſiſsimis oblivionis tenebris obrui in perpetuum & ſepeliri cupiebam. Sed edoctus video veritatem cujuſq; rei in profundo eſſe demerſam : & tandem hæreo dubius meaſnè adhuc tuear, an in hujus potiùs partes tranſeam. Tuum (optime *Theologe*) hìc imploramus auxilium, teq; per illum, qui te tuiq; ſimiles *oves ſuas paſcere* tam ſeriò juſsit, ut tam Craſſam caliginem ab oculis noſtris diſpellas, & in claram lucem, undè ſubitò delapſi videmur, manibus reducas. Tua autoritas ſi ad hanc *Pontificij* ſuaſionem acceſſerit, ego ſtatim palinodiam canam, vinctum me tradam, veniamq; erroris mei à vobis omnibus deprecabor. Si in contrariam ab illo ſententiam abiveris, non eſt, cur hominis litigioſi no-

men extimeſcas. Nam ſi laudabilis ſit contentio vicini vicinum æmulantis εἰς ἄφενον σπεύδοντα, (ut eſt apud *Heſiodum*) tùm certè multò pulchrior eſt in diſquiſitione veritatis, cujus umbram, quâ fruebantur, vel leviſſimam veteres philoſophi ſemper hominibus chariſsimis habuerant chariorem. Quoniàm hîc in tuo regno ſumus (inquit *Theologus*) neceſſariò videtur obtemperandum, ſed multò magis, quòd ejus authoritate me premis, cujus vineam non in hâc umbrâ tantùm, ſed & in æſtu quocunque fervidiſsimo ſubigendam & excolendam mihi ſumpſi. Si igitur oratio noſtra offenſionem aliquam incurrat, tu illam præſtes oportet, qui nos noſtram ſententiam reticere non pateris: ſed quià te ipſum ſatis apud me valere diffidis, muneris tui neceſsitatem huic petitioni tuæ prætendis.

Lib.1. ἔργ. καὶ ἡμερ.

Ariſt. Ethic. lib.1. cap.4.

Theologus.

TVAM (vir ornatiſsime) non in jure ſolùm, quod profiteris, ſed in omni doctrinarum genere ſcientiam quantum ſemper admiratus ſum, nec ego ad os tuum, ſine aſſentationis ſuſpicione, loqui, nec tu, ſine rubore, forſan audire potes. Hîc tamen, neſcio quomodò, tui videris eſſe diſsimillimus, & ſedi Pontificiæ tàm mordicus adhæreſcere, ac ſi ſuperſtitioſo illo *Pythagoræorum* vitio gravitèr laborares, qui in illo αὐτὸς ἔφα, tanquàm in *Apollinis* oraculo ſemper acquieverunt. Imò quidem in hoc illis te deteriorem eſſe judico, quòd ij præceptoris autoritatem tantùm ſine ratione amplectebantur, tu factum *Iulij* re verâ impiū, quià factum ejus fuit, contra rationem defendis. Hoc ut his viris oſtendam, tuis inſiſtam veſtigijs, & ſingula à te dicta eodem ordine percurram, quo tu illa nobis expoſita reliquiſti.

Tanquàm peritus artifex, priuſquàm ædificium tuum inchoaris, ſolùm complanare, atq; omnibus obſtaculis

liberare

liberare ſtudes. Sed tàm obnixè contendendo, quià non præſtiteris quod cupiebas, illud non imperitiæ tuæ, ſed operis difficultati tribuemus. Ars enim poteſt naturam imitari, nonnunquàm etiam adjuvare, ſed ſuperare aut captivam ducere nunquàm poteſt. Illud *Levitici*, ut omnium nodoſiſsimum, in ipſo initio orationis tollere nitebaris. Sed age, fode, ſi volueris etiam, ure, ſeca, nunquàm ità radicitùs extirpare poteris, quin ipſæ fibræ moleſtiam veſtræ ſtructuræ exhibuerint. Varias loci interpretationes adducis, omnes tamen rejicis præter unam *Caietani*, qui præceptum illud cum illo *Deuteronomico* ſic temperat atque condit, ut alterum ſine altero rectè explicari poſſe nolit. In hoc tamèn parùm tui videris eſſe memor, qui *Caietani* opinionem amplecteris, eiſdem planè rationibus evertendam, ob quas ipſe *S. Auguſtinum* repudiabas. Dixeras enim non eſſe credibile, ut *Deus* legem populo ſuo tanquàm perpetuam dediſſet, & poſt tot annos defluxos illius exceptionem prodidiſſet. Neq; certè mihi perſuaderi poteſt, ut *Deus* legis, quam promulgaſſet, explicationem in tantum temporis intervallum differret. Nam ut ipſe ἀγχίνοντος eſt, & primo quoq; ictu oculi quod bonum, quod malum ſit, intelligit: ſic certè nobis aliquid præſcribere judicandus non eſt, cujus rectam explicationem ad multos adhuc annos occultavit. Hoc unicum bonâ tuâ cum veniâ te interrogem. Nùm exiſtimas aliquem *Iudæorum* toto illo interſtitio ſine liberis diſceſſiſſe? Fateris fuiſſe plurimos. An igitur talibus fratres eſſent necnè, qui defunctis illis ſemen ſuſcitarent, nihil moramur. Sed fingamus fuiſſe unum, qui hoc recuſaret. Nùm illi ob hoc ſuccenſere potuit *Deus*, aut ſupplicium aliquod infligere? At diceret hic pro ſe miſellus,

tu solus es bonus, *Iehova*, tu legem sanctissimam nobis populo tuo imposuisti, quàm ut religiosè observaremus, nec è mentibus nostris elabi pateremur, vestium extremitatibus intexere, imò & frontibus appendere jussisti. Ejus autem non minima pars est, quæ fratriæ conjugium nobis interdicit. Hanc ego fratris mei defuncti uxorem divitem, pulchram, pudicam meritò amabam, tamen uxorem ducere, propter mandatum tuum, non audebam, quià tu dicis *illius turpitudinem fratris mei turpitudinem esse*, quam me detegere multis cum minis vetuisti. Quid tuâ opinione hîc pro se *Deus* responderet? Diceretnè se illam legem *Levitici* cum hâc sive exceptione sive explicatione intelligere? At objiceret *Iudæus*, Nos de tali vel exceptione vel explicatione nihil unquam audivimus. Tantùm intelleximus ante legem datam, *Onanem* quondam morte te punivisse, quod semen potiùs in terram effunderet, quàm patris sui jussu fratri defuncto liberos suppleret. Sed lex quam tu nobis dedisti, planè contrarium loquitur: si tu illam sic intelligendam proposueris quẽadmodum nunc dicis, quid nos miseri hoc anteà non cognovimus? Nam mortalium legumlatorum illi longè optimi putantur, qui leges & paucissimas & apertissimas ferunt: qui multas & tortuosas figunt, insidias civibus tendere, non leges ponere videntur. Nescio quid tu cogitas, *Pontificie*, sed hercle ego putarem, *Deum* hominem Israeliticum sic agentem causam suam laudare potiùs velle, quàm castigare.

Levit.18.

Gene.38.10.

Isoc. in Nicoc.

Deinde consuetudinem Ecclesiæ pluris faciendam esse existimas, quàm ut quicquam Pontificis indulgentiæ astringat, quod ut simpliciter bonum obsignatæ verbi divini tabulæ confirmant. Atq; igitur concludis,

Deuteronomicum

Deuteronomicum illud præcepti *Levitici* exceptionem esse non posse. Levis profectò causa fuit, cur hîc ab *Augustino* ad *Caietanum* deficeres. Nam quid ni ego hinc etiam contendam, unum alterius non esse explicationem : quià si illud *Levitici* sine hâc *Deuteronomicâ* expositione non rectè intelligatur, certè Ecclesia multam nobis Christianis facit injuriam, quæ fratriam sine Pontificis dispensatione ducere non permittit. Dicemusnè *Deum* jubere, & Ecclesiam interdicere? Cujus igitur hæc erit Ecclesia, quæ divinis præceptis se objicit? An *Dei?* At regnum divisum non potest sine prolapsione consistere.

Sententiam tuam illustrare voluisti illo præcepto *non occides*. Dixeras enim hoc sic esse accipiendum, ut eo non obstante non solùm posit, sed etiam debeat Magistratus capite punire homicidam. Quæro igitur, num hoc faciat impetrato priùs diplomate Pontificis, an suâ potiùs autoritate satis munitus? Dices, uti credo, Magistratus potestatem sufficere, ut sectorem quemcunque propter homicidium perpetratum hâc luce privet : idque quia illa hominis interficiendi prohibitio sic intelligi debet, ut ad sicarios & grassatores hujusmodi minimè extendatur. At tum si illud *Deuteronomij* eodem modo exponat interdictum *Leviticum*, cur per Ecclesiæ veniam non similitèr licet inconsulto Papâ fratriam ducere? Non dices, Ecclesiam hoc malè constituisse. Nam hoc à tuâ sectâ procul semper abesse debet. Sequitur ergò, ut perpetuum constansque illius judicium, quæ nunquam hujusmodi conjugium toleravit, evincat posteriorem hanc legem illius prioris non explicationem magis fuisse, quàm exceptionem.

onem. Et ut verè loquar quod ſentio, nullam ſatis dignã perſpicio rationẽ, cur *Caietanus* paterq́; *Robertus* præceptũ *Deuteronomicum Levitici* explicationẽ potiùs velint, quàm cum *S. Auguſtino* exceptionem appellare. Nam tum videmur legẽ, vel theſin quamcunq́; optimè explicare, quum non ſolùm verba declaremus, ſed etiã oſtendamus quàm latè pateat, & quibus terminis definiatur. Imò verò nunquam benè illuſtramus, niſi difficultates ſingulas, quibus involvitur, vel diſtinguendo vel excipiendo tanquàm excuſſas diſpulerimus. In exemplo, quod ex illis propoſueras, ſi placet, inſiſtamus. Scribitur, *non occides.* Si quis hinc excipiat latronem vel ſicarium aliquem cruentum, qui manus vicini ſui ſanguine conſpurcavit, annon præceptum hoc illuſtrat? vel etiam qui illud ſic interpretatur, ut neget ad nequiſsimos communis vitæ hoſtes extendi, annon hoc ab eo præcepto excipit? Qui hoc negaret, nihil è puerilibus diſciplinis ſe olere proderet.

Quòd verò alteram earum legum alterius exceptionem eſſe non poſſe contendas, niſi ab eodem fonte utræq́; dimanent, iſtud certè nullo modo tibi poſſum concedere. Nam jus tam gentium, quàm civile juri naturali ſæpiſsimè derogare vos Iuriſconſulti non affirmatis tantùm, ſed infinitis ferè exemplis oſtenditis. Primò bella & ſervitutes jure naturali repugnare dicitis. Deinde juri naturali parentum hæreditates liberis deberi, jure tamen civili rectè illas naturalibus liberis, id eſt, ſpurijs & vulgò quæſitis adimi fatemini. Similitèr ſi paterfamilias filiofam. vel filijfam: fratres inter ſe, vel ſervus ſervo pecuniam crediderit, jure civili hoc debitum eſſe negatis, contrà tamẽ jure naturali: quapropter tale debitũ *naturale* vulgò

L.4. ff. de juſt. & jur.

L.fin. ff. de bon. dã.

L.64. ff. de cond. in deb.

gò appellatis. Sed & exemplum ipsum quod protulisti, hoc apertè probat. Cum enim naturale jus vetet occidere, jus gentium tamen homicidas morte punit. Nam sontium punitiones illud primò sanxit: deinde jus civile uniuscujusque loci maleficiorum supplicia vel exasperat, vel lenit, prout homines diversarum nationum ad hoc vel illud scelus procliviori, vel tardiori impetu rapiuntur. Atque hinc fit, ut Theologi teneant, omnes necessariæ legum judicialium, quæ à *Mose* figuntur, observationi minimè esse obligatos. In hunc errorem illud fortassè te induxit, quòd jura naturalia firma semper dicantur esse & immutabilia, nec ullo jure civili dirimi posse. Sed hoc axioma sic accipendum est, ut quod natura jubet, illud nos eo sensu quo jubet, perpetuò rectum putemus. Hoc tamen non impedit, quò minùs illi, quos virtutis amor, visq; præcepti naturalis intrà limites officij sui continere non potest, supplicij metu coercerentur. Nam natura præcipit hoc esse bonum, atq; ab omnibus perpetuò observandum. Quòd verò multi reperiantur improbi & flagitiosi, quos libido petulantiaq; sua in contrarium trahit: ergò jus primò gentium, deinceps civile tàm præmia proposuerunt, quibus homines ad benè agendum tardißimos hebetißimosq; ad cultum præceptorum naturalium invitent, quàm pœnas alias graviores, alias leviores pro delictorum diversâ qualitate excogitârunt, quibus eos à scelere & nequitiâ deterreant.

Minsing. in par. fin. de Iur. Nat. Gent. & Civil in Inst.

Dict. par, fin.

Sed expectatis forsan, quid tandem nos de lege illâ *Deuteronomicâ* statuendum esse censeamus, aut quo vinculo cum præcepto *Levitico* copulandam esse putemus? Certè non desunt, qui has leges optimè convenire dicunt, & illam *Deuteronomicam* de germanis fra-

 tribus

tribus non debere intelligi, sed de hujusmodi potiùs consanguineis (nam illos sacræ Scripturæ etiam fratrum nomine complectuntur) qui per legem *Leviticam* conjugio se miscere minimè prohibentur. Verùm quemadmodùm ille fuit candor tuus, ut non statim arriperes quamlibet opinionem, quæ à te esset: sic nos causam habere videmur, cur hanc, si non reijciamus, non tamen nimis arctè complectamur. Hanc enim *Iudæorum* consuetudinem fuisse, ut fratrum sine liberis mortuorum viduas etiam germani fratres ducerent, vel illud unicum, meo judicio, locupletissimè testatum reddit, quòd *Naomi* illa socrus suas maritis orbas eam deserere recusantes interrogavit, *Num ultrà haberet filios in utero suo,*
Ruth.1.11. *ut viros ex illa sperarent?* eisque omnem spem filiorum suorum, quibus illæ nubere possent, præscideret *quòd senectute se confectam esse diceret, nec aptam vinculo conjugali. Atque etiam si posset illa ipsa nocte concipere & parere filios, illas, si eos usq; in tempus pubertatis expectarent, vetulas futuras esse antequam nuberent.* Hæc enim verba procul dubio nunquam illi excidissent, si præceptum *Deuteronomicum* non æquè de germanis, atq; de reliquis consanguineis vel *Moses* tradidisset, vel *Iudæi* saltem intellexissent.

Alij viri doctissimi sunt, qui legem *Deuteronomicam Leviticæ* tolerationem potiùs, quàm vel exceptionem, vel explicationē appellari volunt. Et hanc suam opinionem non solùm interstitio tam longo, quo hæ leges invicem dirimūtur, assiduâq; ecclesiæ Christianæ (de quâ modò locuti sumus) consuetudine, sed aliis etiam multis argumentis suffulciunt, atq; muniunt. Primùm

mùm enim è Patre *Roberto*, qui nunc *Romæ* in ſcholis theologicis dominatur, quiq; authoritate ſuâ tantum apud omnes catholicos valet, oſtendunt *Deum* polygamiam *Abrahæ*, reliquiſq; ſanctiſsimis *Patriarchis*, ſpeciali temporum illorum intuitu, contrà commune juris naturalis & divini præceptum indulſiſſe. Deinde etiam ex ipſius ſalvatoris noſtri verbis hoc urgent, qui fatetur *Moſen* repudij libellum illum, licet veræ juſtitiæ contrarium & repugnantem in *Iudæis* tuliſſe. Hincque inter multa alia, quæ illorum imbecillitati conceſſa fuiſſe contendunt, nobis *Chriſti* noſtri incarnatione confirmatis & ſtabilitis meritò denegata, aſſerunt hoc eis datum eſſe privilegium, ut fratrum ſine liberis mortuorum uxores accipere poſſent. Sed probabiliter dubitaverit quiſpiam, eam legem *Deuter.* diſpenſationem eſſe, quia diſpenſatio levis potius permiſsio eſt quàm præceptum, & hominum appetitionibus contrà legis ſeveritatem favere ſolet, non injucundum aliquod illis obtrudere. At illa *Deuteronomij* lex *Iudæos* jubet fratrum ſine prole mortuorum uxores ducere, & illis ſemen ſuſcitare; etiam ſcitum hoc negligentibus pænam infligit perpetuam familiæ ſuæ contumeliam. Atque igitur in hac mente nonnulli ſunt, ut exiſtiment tam hoc de ſemine fratri ſuſcitando, quàm illud de fratriâ non ducendâ neceſsitatis eſſe præceptum, ſed alterum *Iudæis* particulare, alterum omnibus tam Gentibus quam *Iudæis* commune & expoſitum.

Cap. 28. de matrim. ſacr.

Mat. 19. 8.

Sed ſi quid ego videam, harum opinionum authores verbo magis, quàm reipſa diſſentiunt: Nam duplex poteſt hujus loci eſſe conſideratio, una, quatenus fratri defuncto ſobolis beneficium fictione quadam elargitur:

gitur: altera, quatenus fratri superstiti pœnam contemptus imponit. Quapropter nihil impedit, quo minùs beneficium afferat mortuo, vivum etiam, quia molestum fortè jubet, onere non levi premat. Sed dixerit hîc quispiam privilegium non esse cuiquam cum injuriâ tertij concedendum. Primùm interrogo,
Rom.9.20. *μενοῦνγε ὦ ἄνθρωπε, συ τίς εἶ ὁ ἀνταποκρινόμενος τῷ θεῷ.* deinceps respondeo nemini hîc damnum aliquod illatum esse: quia hoc beneficium omnibus *Iudæis Deus* generaliter tum indulsit, cum adhuc incognitum esset, quibus eorum particulare aliquod commodum vel incommodum inde redundaret. Atque igitur hoc commune bonum omnibus, non cuiquam malum judicari debet. Sic enim cum *Iudæis* comparatum fuit, ut maledictionem quandam in posterorum defectu constituerent. Fructus enim ejus beatitatis, quam summam *Deus Abrahamo* ipsorum
Gen.7. patri promiserat, è sobolis fidelis, piæ, religiosæque propagatione maximè effloruerunt. Vnde debilitatem eorum hoc solatio *Dominus* misericors, pro summâ clementiâ suâ, sic sublevandam esse censuit, ut cuiq; sine liberis defuncto proximus consanguineus in semine suscitando pietatis officium præstare posset. Nunc verò cum illud effectum sit, quod olim per Prophetam suum *Deus* pollicebatur, *ut scilicet con-*
Isa. 66.18. *gregentur omnes gentes atque linguæ, veniantq; ac videant gloriam Domini*, non *Iudæorum* propagini secundum carnem, sed Christi potiùs secundum spiritum hæc tanta fœlicitas ascribitur. Nam omnes
Gal.3.26, &c. (non Iudæi solùm, sed & ubicunque terrarum dispersi Christiani) *filij Dei sumus, per fidem in Christo Iesu. Quicunq; enim in Christo baptizati sumus, Christum induimus. Non est Iudæus, neque Græcus,*

non

non est servus neq; liber, nō est masculus neq; fœmina: Omnes enim unum sumus in Christo Iesu. Si autē nos Christi, ergò semen Abrahæ sumus, secundum promissionem hæredes. Atq; sequitur illā legem hinc, quam ad progeniei continuationē *Iudei* tā anxiè observarāt, jam cū illâ ipsorū curâ pariter antiquatā esse atq; abdicatā.

Hanc opinionē confirmat universa schola nostrorū theoricorum. Inter reliquos enim doctissimus *Bonaventura* sic scribit. *Ad illud ergò quod objicitur, quod præceptū erat ducere uxorē fratris, dicendum, quod hoc verū erat in casu, sc. cū frater mortuus erat sine semine. Ideò nō debebat pati lex, quod aliquis esset, qui videretur sine semine, si haberet proximum qui suscitaret. Nūc autē quia hoc sublatū est, sic impedit omninò sicut consanguinitas.* Cū hoc consentiunt illi qui supplemētum summæ *S. Thomæ* attexuerunt: sic enim loquūtur *Frater nō poterat accipere uxorē fratris nisi in casu, sc. quandò moriebatur sine prole: Quod tunc requirebatur, quādo per propagationē carnis cultus religionis multiplicabatur, quod nunc non habet locū.* Atq; igitur paulò pòst *levirū atq; fratriā* aiunt, *sine incestu non posse cōtrahere carnaliter.* His etiā astipulatur Durandus. Ille enim sic primò objicit, *uxor affinis est fratri viri sui, sed eo mortuo debet eā accipere in uxorē secundū legē veterē, ut habetur Deut. 25. ergò affinitas non impedit matrimonium.* Deinde sic respondet, *dicendū, quòd lex prohibuit, ne frater acciperet uxorē fratris, Levit. 18. Concessit tamen hoc dispensativè in casu, in quo frater moriebatur sine liberis, ut vivens suscitaret semen fratri defuncto, ne nomen ejus in progenie suâ absque liberis remaneret.*

4. sent. distin. 41. quæst. 3.

quæst. 55. art. 18.

art. 9.

lib. sent. 4. dist. 41. art. 12.

Agnoscimus igitur diversorū hominū de harū legū interpretatione discrepātes sentētias: quā vos potissimū

amplecti

amplecti volueritis, vestro judicio relinquimus. Nos certè pedibus jampridem ivimus in partes scholasticorum. Quippè qui non solùm disciplinam suam ad trutinam plerumque examinant, sed hîc etiam universalis Ecclesiæ consensu se muniverunt.

Sed objecerit aliquis, si verum sit illam legem *Deut. Iudæis* solis fuisse impositam, hoc sequi, ut vel inter judiciales, vel cæremoniales numeretur: Concedamus istis suam consequentiam, & cum *Augustino* concludamus esse cæremonialem. Ille enim sic. *Quod uxorem fratris ad hoc frater jussus est ducere, ut non sibi, sed illi sobolem suscitaret, ejusq; vocaret nomine, quod indidem nasceretur: quid aliud in figurâ præmonstrat, nisi quia unusquisque evangelij prædicator ita debet in Ecclesia laborare, ut defuncto fratri, hoc est Christo, suscitet semen, qui pro nobis mortuus est: & quod suscitatum fuerit, ejus nomen accipiat? Denique hoc implens Apostolus, non jam carnaliter in præmissa significatione, sed spiritualiter in completa veritate, quos in Christo Iesu per evangelium se genuisse commemorat, succenset eis, & eis increpans corrigit volentes esse Pauli. Nunquid Paulus, inquit, pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? Tanquam diceret: Defuncto fratri vos genui, Christiani vocamini, non Pauliani. At verò qui electus ab Ecclesia ministerium evangelizandi renuerit, ab ipsâ Ecclesiâ meritò digneq; contemnitur. Hoc est enim quod jubetur in ejus faciem expuere, non sanè sine signo hujus opprobrij, ut calceamento pedis unius exuatur, ut sit in eorum sorte, quibus ipse Apostolus ait, & calceati pedes in præparationem evangelij pacis: & de quibus commemo-*

Contra Faust. lib. 32. cap. 10.

1. Cor. 1. 13.

Ephes. 6. 15.

commemorat Propheta, *Quam ſpecioſi pedes eorum qui annunciant pacem, quia annunciant bona. Qui enim ſic evangelicam fidem tenet, ut & ipſi proſit, & eccleſiæ prodeſſe non renuat, benè intelligitur utroque pede calceatus. Qui autem ſibi putat, quia credit, ſatis eſſe conſultum, curam verò lucrandorum refugit aliorum, decalceati illius non figuratum ſignificavit, ſed in ſe impletum portabit opprobrium.* Videſne, *Pontificie*, quàm altis hæret defixus radicibus ille ſtipes, quem tu tam facilè volebas evellere? Sed exultare, tanquam in campo aliquo *Martio*, videtur oratio tua in illorum hominum patrocinio, qui *Herodem* vivi fratris, filiâ etiam aucti, conjugem duxiſſe, quique *Corynthium* illum patris ſui adhuc ſuperſtitis uxorem contrectaſſe dicunt. Omitto multos recenſere, qui contrariæ ſunt opinionis. Non enim hominum conjecturis, ſed argumentorum momentis libet contendere. Illa duo exempla fateor à multis uſurpari, qui primas illas *Henrici* nuptias accuſant. Sed ut in bello levis armaturæ ſæpè fiunt excurſiones, nec ſemper comminùs pugnatur: ſic in hâc pugna umbratili multa ſæpè efferunt homines etiam acerrimi, quæ non tam adverſarios vehementer premunt, quam venuſtè defenſionem ſuam exornant. Da igitur illas *Iohannis* & *Pauli* reprehenſiones nec nobis nocere, nec prodeſſe vobis, & ad illa quæ ſequuntur in oratione tuâ progrediamur.

Abrahami & *Saræ* conjugium non ſolùm pro nobis nihil efficere prætendis, ſed etiam in veſtrum commodum artificioſè convertis. Dicis enim præter *Pharaonem* atque *Abimelechum*, *Deum* ipſum idem apertè comprobaſſe: quia nimirùm ſervum ſuum & omnium

omnium fidelium patrem ab ethnicorum commercio ſeparatum adhuc ſororem ſuam in conjugio retinere ſivit. Atque hinc concludis, fratris ſororiſque nuptias *Deo* placere, leviri igitur atq; fratriæ nullo modo poſſe diſplicere. Benè ſe habet, quòd hoc argumento nunc etiam fratribus ſororum lectos non proſtituis. Nam ἀνώνυμος quidam hujus noſtræ controverſiæ ἀπολογιάγραφος hoc tam ſeriò arripit, ut nullo modo ſibi divelli patiatur. Neque *Henrici* illius cum *Katharinâ* conjunctionem ſatis ſe defendiſſe putavit, niſi hoc *Abrahæ* exemplo fratrum ſororumque connubia cùm jure tum naturali, tùm divino cohærere probaret. Verùm illum conſpirans omnium ætatum conſentienſque uſus facilè perſtringit. Tu fortaſsis (uti res eſt) *Saram Abrahæ* germanam non fuiſſe agnoſcis, ſed neptem potiùs ex fratre, *Abrahamum* autem eam ſororem ex temporum illorum inſtituto nominaſſe. Interim tamen quia tam arctum conſanguinitatis vinculum matrimonium non impediebat, affinitatis impedimentum multò debilius leviuſque reputandum eſſe contendis. Nos quidem *Saram* ſive neptem, ſive, ſi volueris, ſororem *Abrahæ* fuiſſe non diffitemur: (nam utramque iſtarum opinionum probabiliter à viris ſummis diſputari novimus) & tamen exemplum illius conjugij confidenter aſſerimus cauſam veſtram nihil omninò promovere. Si hoc *Abrahæ* factum exemplo poſteritati eſſe poſsit, cur non nunc etiam fratres fratrum filias in matrimonium ſibi aſciſcunt? At non ſolùm omnes hoc facere exhorrent, ſed omnes theologi veteres primum & ſecundum conſanguinitatis gradum ab omni nuptiarum ſpe ipſam natu-

Folio 22. & ſeq. ſuæ ἀπολογίας.

Bellar. cap. 28. de matr. ſacr.

naturam secludere constanter docent. Atque igitur *Sara*, sive soror (ut *Hieronymus* vult) sive (ut aliis potiùs placet) ex fratre neptis *Abrahæ* fuerit, dicendum est potiùs virum illum sanctum hoc speciali quodam instinctu monitum & afflatum, ut Polygamiam, sic has etiam nuptias inivisse, quàm ad ejus exemplum simile aliquid à nobis admitti posse. Nam si demus *Saram* sororem *Abrahæ* fuisse, illudque nos nunc posse, quod ille tum potuit, non solùm in illud *Levitici* cum mortis periculo manifestè impingemus, sed etiam contrà omnes *Theologos* & *Pontificios* fratrum sororumq; conjugia confirmabimus. Hoc nemo præter iracundum illum apologiographum, qui nihil sibi denegari patitur, uti spero, postulabit. Si neptem ex fratre, certè non magis hinc concluseris idem nunc tutò fieri, quam sororem posse duci, si soror illa fuerit. Sed neptis sit, & hinc (quia liberalitate me superari non patior) concedamus aliquem posse filiam fratris sui conjugem assumere. Num statim nuptiæ inter levirum, & fratriam subsequentur? Minimè verò. Nam filia fratris patruum suum secundo gradu pertingit, fratria levirum primo, nempe eodem, quo maritus suus. At fratres unico tantum gradu distingui probat illa *Canonistarum* regula: *Si enim ordine ex tranverso duæ sint personæ æqualiter descendentes à communi stipite, quoto gradu distat altera earum à communi stipite, toto gradu inter se distant.* At hoc affinitatis vinculum fortè dices, illud consanguinitatis. Num ergò solutius? Hoc nemo unquam dixit Catholicus. Nam non solum in illo decimo octavo *Levitici* fratriæ turpitudo fratris turpitudo dicitur, atque igitur eadem quæ germanæ C. parentelæ. cap. 35. q. 5.

germanæ ſororis (quia *quæ uni & eidem ſunt æqualia, illa inter ſe ſunt æqualia*) ſed etiam Eccleſia *Romana* (cujus ſcitis nos ſemper acquieſcimus) procaciſsimæ hæreſeos laqueo illos involutos tenet, qui majorem conſanguinitatis, quàm affinitatis ad contrahendum matrimonium impeditionem eſſe volunt. Quapropter *Didacus Covarruvias*, quenquam novercam ſuam, patre defuncto, non magis quàm matrem uxorem poſſe aſſumere, juxta *S. Thomæ* & *Abulenſis* diſciplinam aperte concludit.

Euclid. prima com. ſent.

In cap. 6. ſecundæ partis ſuæ epit. par. 10. im. 6.

Imperatorum conſtitutiones à nobis eſſe fateris, ſed tamen partes noſtras nihil ſublevare concedis. Civiles enim appellas, locis ſcilicet & temporibus cooptatas, annexas voluntatibus principum, nullo naturæ fundamento ſuſtentatas, aut munitas præſidio. Hîc principia petis, *Pontificie*: Quippe nos contendimus illud *Leviticum* præceptum juris eſſe perpetui, & cœlitùs hominum animis inſculpti, hocq; probare conamur quàm poſsimus conſpiranti teſtimonio tum ſcripturarum, tum reliquarum nationum; & tu jam hanc conſtitutionum imperialium authoritatem elevas, quaſi civilium tantùm & poſitivarum (ut loquuntur) minimeq; naturalium aut æternarum. Et hoc cum illud ipſum ſit, quod in controverſiam vocatur, tantùm aſſeris, nullis confirmas rationibus. Ac ſi diceres, ſanctiones iſtas principum *Romanorum* ne nominetis: mihi credite vel argumentum nullum afferenti, illas ejus eſſe naturæ & conditionis, ut bonæ potiùs putari debeant, quià præcipiuntur, quàm præcipi, quia bonæ ſunt. Hoc eſt emendicare victoriam, non certando aſſequi, & pro imperio potiùs ſtatuere quid verum ſit, quàm mentis acie diſquirere & inveſtigare.

gare. Nunc tandem, ni fallar, intelligis, *Ponficie*, hæc quæ impedimenta vocabas, non adhuc sic tolli, quin etiamnum cuivis hoc stadium inituro molestiam vel maximam facessere posint. Tu verò quòd illa tàm mollitèr transilieris, hoc non tàm rei facilitate, quàm propriâ quâdam agilitate tuâ fecisse videris. Sed in arcem tuæ defensionis jam tandem ascendamus, & illam quibus machinis instruxeris, consideratè perlustremus.

Primo in loco tanquàm firmisimũ præsidium, collocasse videris pœnarum diversitatem, quibus *Deus* legum illarũ matrimonialium contemptores se castigaturum esse minitatur. Alijs enim mortem, alijs tantùm orbitatem addicit. Sed hoc argumentũ apertè claudicat. Nam in ipso *Decalogo* particulare supplicium præcepta sua transilientibus *Deus* non constituit, & illa ipsa delicta quæ eodem mortis genere *Moses* alibi vindicari jubet, alia *Deum* graviùs, alia leviùs offendunt. Quis illum qui cum masculo, vel jumento coit, austerius judicium sibi ipsi concitare negabit, quàm qui sororem suam uxorem sibi accipit? Atqui tàm hic quàm ille igni adjudicatur: etiam si aliquis tantâ fœditate reperiatur, ut horum alterum vitium alio cumulaverit, tantùm igni traditur. Præterea, mendacium nonnè æquè delictum esse fateris, atq; homicidium? Imò verò pater *Robertus* mendacium illius naturæ esse affirmat, ut omnem dispensationẽ superet, homicidium hujusmodi, ut ex circumstantijs tolerari posit. Leviùs tamen peccare illum, qui mentitur, quàm qui hominem hâc luce privat, quilibet mentis compos facile agnoscit. Stuprum vel ipsâ cogitatione quis committit. At nemo unquam Iudex tam severus fuit, qui hujusmodi peccatum proposito tantùm admissum, si agnoscat, eodẽ supplicio cor- Cap. 27. de matrim. sacr.

 rigendum

rigendum putavit, quo hominem in ipso adulterij facto deprehensum. Neq; tamen ideò negaverit quispiam, pravum hunc appetitum naturalitèr & revera vitiosum esse. Ex his ergò sequitur, licet graviùs reprehendatur ille, qui graviori peccati genere se contaminavit, tamen non minùs naturæ limites transilire eum, qui levissimè contra jus naturale quid perpetrat, quàm qui gravissimè delinquit. Hoc enim *Stoicorum* olet hæresin, qui τὰ ἴσα ἁμαρτήματα posuerunt, minimisq; peccatis accessionem aliquam pravitatis vel atrocitatis fieri posse negaverunt. Horum autem sententiam jam olim è scholis explosam esse constat, quippe qui ut rerum bonarum nullum delectum reliquerunt, sic perturbato semel ordine, nihil peccato addi posse putaverunt, quo majus peccatum videretur.

Cicero in 3. paradoxo.

Cùm igitùr hoc longissimè semper ab orthodoxis abfuerit, ut vel virtutum vel vitiorũ æqualitatẽ somniarent, confidentèr asserendum est, neq; gradus vitiorum semper è suppliciorum varietate distinguendos esse, nec infimis omnium, quæ suâ naturâ vitia sunt, vitiorũ nomen denegandum. Ergò ego potiùs sententiam patris *Roberti* huic tuæ præfero, qui non prorsus negat illas Leviticas prohibitiones juris esse naturalis, sed potiùs adhibitâ distinctione rerum malarum, aliquas earum de rebus simplicitèr & semper malis, aliquas de rebus malis, si nudè & solitariè considerentur, fieri dicit, quæ tamen mutatis circũstantijs bonæ esse possunt. Quamobrem si illum audiamus, fratriam ducere naturæ lege prohibemur, tali tamen, qualis, circumstantijs sic exigentibus, sine sceleris & impietatis notâ violatur. Ideò autem positivam etiam eandem appellat, quià circumstantiæ aliquãdo possunt efficere, ut magistratus eidem

minimè

minimè astringatur, sed adversum planè contrariumq; statuat. In hoc tamen vir ille celeberrimus mihi videtur à veritate aberrare, quià, nè ab hâc vestrâ opinione deprehendi posset paulò alienior, cogitur confundere leges naturales & civiles, quas vulgus *positivas* vocat. Nam revera omnis antiquitas leges naturales illas semper duxit, quæ rem vel simplicitèr bonam præcipiunt, vel simplicitèr malam interdicunt: civiles vel positivas illas, quæ rem per se neq; bonam neq; malam ponunt, atq; ideò quæ nec bona nec mala priùs fuerat, ipsâ præceptione vel bonam vel malam faciunt. Illud enim è vestrorum libris jampridem didici, ***quædam nimirùm legitima esse***, id est, ***ut ego interpretor, legibus præcipi, quià bona sunt, quædam bona esse, quià legitima***, id est, quià præcipiuntur.

Hîc etiam (si bonâ cum veniâ tanti viri mihi liceret) dicerem, si non illius sententiam posse corrigi, scribendi tamen modum emendari, quòd rerum malarum triplicem divisionem instituerit: earum nimirùm, quæ simplicitèr & semper malæ sunt, quæ simplicitèr & semper exceptâ extremâ necessitate, quæ deniq; malæ sunt, si nudè & solitariè considerentur, possint tamen, mutatis circumstantijs, honestari. Satis enim fuisset dixisse, res simplicitèr naturâque sua malas, vel tales esse, ut nunquàm possint fieri non malæ, vel tales, ut, mutatis circumstantijs, possint. Extrema necessitas, quam ille secundum membrum suæ distributionis facit, sub circumstantiarum nomine satis apertè comprehenditur. Idq; ut ostendamus, non quæremus alia, quàm quæ ipse posuit, exempla. Non licet (inquit) tollere alienum, invito domino. Extrema tamen necessitas efficit, ut quod alienum est, alienum esse desinat, & fiat commune.

Matrimonium etiam cum propriâ sorore semper & ubiq; prohibetur, nisi extremâ contrarium urgente necessitate, quæ fuit in initio mundi. Quid aliud his in exemplis est necessitas, quàm circumstantia temporis alia, personæ alia? Ac si diceret quispiam, malum esse tam furtum, quàm fratris sororisq; conjugium: siquis tamen in illas angustias compingatur, ut vel furandum vel fame pereundum; vel in hujusmodi tempora inciderit, ut soror ducenda, vel humana species è medio tollenda sit: tum quidem & permittitur furtum, quod simplicitèr condemnatur, & sororis matrimonium, quod naturalitèr incestuosum esse ducitur.

Alias circumstantias vehementiores magisq; necessarias, alias debiliores, nec tantũ urgere fatemur: sed hæc differentia in causâ esse non debuit, ut iste pater essentiâ illas discriminaret, quæ tantùm intentione & remissione secernuntur. Si ergò cum illo tu etiam hanc fratriæ ducendæ prohibitionem suâ naturâ perpetuam esse fateare, nos quidem eam non tàm perpetuam asseremus, quin circumstantijs etiam cedere nonnunquàm & succumbere patiamur. Nam & patrem aliquando quisquã non injustè interfecerit: nec rarò occasiones contingunt, quæ non solùm è duobus honestis illud quod honestius est, sed etiam ex inhonestis illud quod ab honesto propius abest, cogunt eligere. Illa est (proh malũ) humanarum rationum infælicitas, ut ipsâ varietate suâ vel ultima omniũ & antiquissima vitæ nostræ præcepta alia cum alijs misceat nonnũquàm, & sic collidat, ut singula conservare integra non possimus: satisq; probè nobiscum comparatum esse putemus, si neglectis inferioribus, illa sequamur, quorum contemptu numinis iracundiam vehementiùs accendi intelligimus.

C. duo mala dist. 13.

Quare cum inter præcepta juris naturalis atque divini

divini illa ſupremum locum occupent, quæ *Dei* cultum immediatè ſpectant, ſi contingat aliquando neceſſitas, ut vel illa vel alia aliqua ponenda ſint: *Dei* gloria ſemper præferri debet, quæ cum hâc ſtare non poſsint, corruant & pedibus obterantur. *Iehu* rex *Iſrael* cùm gentem illam ad *Dominum*, à quo tam turpitèr ad *Baal* idolum defeciſſet, & perfectè & celeritèr reducendam eſſe perſpiceret, neque videret, quomodò hoc ſic fieri poſſet, quià adhuc reliquiæ quædam ejus fæcis in abditis & occultis locis deliteſcerent: ſimulavit ſe *Baali* rem divinam facturum, atq; ità ejus ſectæ ſacrificulos in templum ſimul convocatos omnes eodem die trucidari juſsit. Nam religioſiſsimus ille Rex, licet mendacium ſimplicitèr malum eſſe, & præceptum *Decalogi* lædere non ignoraret: tamen ad tam pij, tamque neceſſarij propoſiti ſui executionem, quam alitèr ſe præſtare nullo modo poſſe perſpexit, fidem illis ſacerdotibus datam fallere non dubitavit. *At non eſt malum faciendum, ut inde veniat bonum.* Certè ſi bonum quod neceſſariò quærendum eſt, ſine mali cujuſquam perpetratione poſsit obtineri. Licet enim nonnullos eſſe ſciam, qui facinus hoc tàm inclyti Regis detrectant omninò defendere, aliquos etiam qui dolum illum apertè reprehendere non reformidant: mihi tamen circumſtantiæ temporum rectè perpenſæ videntur eum ab omni culpâ facilè liberare. Hoc enim & alia hujus ſimilia facta illis annumeranda ſunt, quæ *Ariſtoteles* appellat καθ' αὐτὰ μὲν ἀκούσια, νῦν δ', καὶ ἀντὶ τῶνδε, ἑκούσια, quia tamen ipſius actionis principium in agente ineſt, μᾶλλον ἔοικεν ἑκουσίοις. At *Abrahæ* illud artificium non in eâdem causâ eſſe judico, cùm *Saram* ſororem diceret, conjugem eſſe diſsimularet. Nam ad vitam ſuam tutandam (quæ meliùs amittitur, quàm cum dedecore

2.Reg. cap.10. verſ.25.

Ad Rom. cap. 3. verſ. 8.

Ethic.3. cap.1.

core conſervatur) diſsimulationi adjunxit non ſolùm thalami ſui contumeliam, ſed apertam divinæ providentiæ diffidentiam.

Divinus autèm cultus partim internus, partim externus eſt. Quæq; hactenùs locuti ſumus, ad internum pertinent. Externus verò cultus in ſacrorum rituum & cæremoniarum obſervatione potiſsimùm conſiſtit, qui licet facilè negligi non debeat, neceſsitate tamen id urgente, nonnunquàm ſine ſcelere violatur. Atque igitur

Mat. 12. *Chriſtus* judicat *Davidem* non injuſtè feciſſe, quòd panes propoſitionum, quos religio ſacerdotibus proprios fecerat, comederet. Nam & fames, & expedita negotiorum, quæ tùm illi incumbebant, executio, commeatũ licitum illum tunc expectare non permiſerunt. Sic jus veſtrum res ſacras regularitèr alienari non permittit, ad captivorũ tamen à Turcâ redemptionẽ diſtrahi jubet. Hîc poſſem eſſe multò copioſior. Sed & tu diſciplinam hanc agnoſcis in defenſione tuâ, & quæ jam dicta ſunt, rem probandam ſatis apertè declarant. Vt ergò locum hunc concludamus, hæc patris *Roberti* ſententia, *Leviticum* illud præceptum, de quo noſtra controverſia inſtituitur, juris perpetui & naturalis eſſe confirmat, atq; ideò ſemper obſervandum, niſi celſioris antiquiorisq; legis majeſtas hoc impediat: & ſi tale aliquod impedimentũ occurrat, tum, ſicut & alia quæcunq;, ſic hoc perrumpendum eſſe nos libentiſsimè fatemur. Nam ſi illæ rerum converſiones fieri poſſent, ut quemadmodùm in initio mundi, ſic nunc humanum genus ex unico viro & unicâ fœminâ conſiſteret, tum eorum proximos liberos matrimonium invicem contrahere poſſe diceremus: idq; ad complementũ illius numeri, quem *Deus* hujus ſpeciei ſummum & ultimũ ſecundo judicio ſuo

de-

designavit. Dogma hoc nuptijs *Henrici* ſtatim fortè melius applicabimus: nunc tantùm volui ejus autoritate præcipuũ tuum munimentũ diſjicere, quem omnes catholici non majori quã debito honore proſequuntur

Secundo loco definitionem juris naturalis, quamvis paulò obſcuriùs, collocaſſe videris, ac ſi diceres illud eſſe jus naturale, quod ſolo lumine naturæ, ſine rationis diſcurſu aliquo, ſeu ſaltem cum facillimo diſcurſu cognoſcitur eſſe bonũ. Quamobrem quia non ſolùm ethnicæ nationes, ſed & homines etiam ipſi *Deo* chariſsimi fratriarum conjugia crebrò uſurpare ſolent, hæc naturali jure minimè prohiberi contendis. Exempla tum gentium, tum ſacrarũ ſcripturarũ profers, atq; ità quaſi trophæũ aliquod te poſuiſſe cogitas. Ius naturale ſic multos definire ſcio, nec laboro quàm accõmodatè, proptereà quòd hîc vis argumenti tui minimè latet. Ego tamẽ jus illud non tam hominũ ingeniis & moribus, quã perpetuâ atq; ſimplici veritate metiendũ eſſe putarem. Nam de rerum bonitate atq; juſtitia tantam apud omnes populos eſſe diſſenſionem meritò dicit *Ariſtoteles*, ut nihil naturâ videatur eſſe juſtũ, ſed illud tantũ, quod leges ubiq; præcipiunt. Et certè ſi vel in unicâ conjugij conglutinatione, quàm diſpares variarum gentiũ mores, quàmq; repugnantes fuerint, conſiderare voluerimus, leges hominũ moribus accõmodatas potiùs, quã ad certam naturæ normam conformatas fuiſſe facilè ſentiemus. Nullam enim in re aliqua nobiliorem nationum reperiemus inconſtantiam. Si polygamiam juri naturali congruere dicerem, ad hujus paradoxi confirmationem multas gentes proferre poſſem, quæ non ſolùm unum virum plures fœminas ducere, ſed & unam fœminam pluribus viris nubere permiſerunt. Si parentum liberorumq; gradu proximorum ſexcen-

ta mihi exempla probatiſsimi omnium, quos habemus, autores ſuppeditarent: ſi fratrum ſororumque, certè tempus tot nominum repetitioni vix ſufficeret, quot viri hîc deliquerunt. Cauſam hujus diverſitatis me interroganti tantùm reſponderem, non eſſe Naturam: aliquam non afferrem præter illam *Pauli*, *Quià cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, &c. Proptèr quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumelijs afficiant corpora ſua in ſemetipſis.* Si tamen è pluribus particularibus univerſale liceat conijcere, non ineptè forſan quis divinaverit, poſt principes alicujus nationis in hanc intemperantiam libidinis impetu præcipitatos, populum reliquum vel communem legem pellexiſſe, vel impunitatis ſpem pertraxiſſe. Nam apud Perſas magi primi illorum ſacerdotes & philoſophi, quorũ maxima apud illos fuit autoritas, matribus & filiabus ſuis matrimonio ſe junxerunt. Et longè poſteà *Artaxerxes* rex filias ſuas *Athoſim* & *Meſtrim* juſtarum uxorum loco habuit. Vnde factũ eſt (ni fallar) ut non ſolùm alij idem impunè factitarent, ſed & illos liberos maximè genuinos haberent, quos è tali conjugio procreabãt. *Aegyptij* ſorores ad thalamos ſuos acciviſſe putantur, ad exemplum *Iſidis* ipſorum Deæ, quæ fratri ſuo *Oſiridi* nupſit. Fuerunt etiam apud eoſdem plures *Ptolomæi*, qui ſorores ſuas in uxores acceperunt, quorum unus, cognomento *Philadelphus*, *Soladem* quendam hoc nomine illum reprehendentem in vincula conjecit: alius *Philopater* lege promulgatâ hoc univerſo illi populo licitum fecit. *Claudium Cæſarem* ſcribunt aliqui, cùm *Agrip-*

Rom. 1. verſ. 21. & ſeq.

Laert. in proœm.

Alex. ab Al. cap. 21. lib. 1. gen. dier.

Diodor. lib. 1.

Plut. de educat. liber.

Agrippinam germanici fratris filiam, cujus amore deperibat, sibi uxorem desponsasset, ne in illum solùm naturæ sacra vincula perrumpentem omnium oculi conjicerentur, omnibus *Romanis* nuptias in eodem gradu communi sanctione liberas concessisse. Sed hic in lege suâ ferendâ tam infœlix, quàm in tanto scelere committendo spurcus & impurus fuit. Nemo enim repertus est, qui illum tam obscœno in tramite, quamvis cuique jam aperto atque obvio, sequeretur. Cum ergò subditorum animos ad exempla suorum principum, vel vitiosissima facilè componi non hæ solùm historiæ ostendant, sed communis etiam omnium politicorum authoritas confirmet: probabiliter saltem mihi concludendum videtur, & *Assyrios* à suâ *Semirami*, quæ filij sui amore capiebatur, & reliquas etiam gentes à simili gubernatorum suorum vitio contagionem istam contraxisse. Desine jam tandem (*Pontificie*) naturale jus gentium numero definire, & idem pete potiùs à paucioribus, quos vel recta educatio in hâc cognitione cæteris meliùs instruxit, vel disciplina limatiùs expolivit, vel præsertim verbi divini lux pleniùs illuminavit.

Al. ab Alex. ubi supra.

Fran. Sueton. in Claudio.

Sed solis ethnicis (inquis) non acquiesco: *Iacob* atque *Iuda*, nonnè alter duas sorores duxit, alter unicæ mulieri duos filios suos ordine junxit, etiam tertium despondit? *Iacob* unicam petiit, & *Lea* illi nescienti obtrusa est: & in hoc nemo quidem illum unquam defendit, quòd *Leam*, postquàm cognovisset non esse illam quam petiit, non rejiceret. Sed age volens sciensque duxerit. Num hinc ratiocinaberis & nunc idem licere. Tum profectò & ab ipsius exemplo, polygamiam in usum reducamus, quia *Iacob* non solùm

duas

duas sorores simul, sed & earum quoq; ancillas uxores duxit. Imò verò potiùs mihi placent illi Patres, qui *Deum* hæc ejus conjugia tam graviter prædicant tulisse, ut alteram morte eriperet, priusquàm terram sanctam ingrederetur, ut vitio quodam Orientis hoc eum fecisse ostenderet, & ne posteros ad simile peccatum aliquo modo videretur provocare. *Iudas* (si Deo placet) *Thamar* uxorem dedit primùm primogenito suo *Her*, deinceps filio secundo *Onani*. Miror quòd mœchari etiam nobis non concedas, quod ille *Thamar* in viâ obviam factam compresserit, gravidamq; fecerit. Sed cum *Onan* potiùs sperma in fundum effūderet, quàm semen fratri suo suscitaret, *idcircò percussit* Gen.38.10. *eum Dominus, eò quòd rem detestabilem faceret*. Rectè. Semen fratri suscitasset potiùs, quàm libidine suâ expletâ semen in terram disjecisset. Minus malum illud fuisse non negaremus, simpliciter tamen bonum fuisse illud conjugium non scio, si quisquam unquam dixerit. Nam si necessarium fuerit, *Iudæ* illam fœminam tribus suis filiis collocare, cur tertio dare recusavit? At si vitio careat quòd tertio denegaverit, non video certè rationem aliquam, cur & secundo, si sic illi visum fuisset, non utique denegasset. Credisnè tu Deum *Onanem* illum morte velle punivisse, si dixisset patri suo, se fœminam eam non potuisse complecti amore conjugali, suæque recusationis veniam modestè petiisset? Non arbitror. Sic enim concluderes, illam esse potestatem parentum in liberos, ut, quas ipsi offerunt nuptias, accipere cogant. Hoc autem quàm sit ab omni ratione alienum, quisque facilè videt. Præterea si hoc verum sit, quidni Deus etiam mortem omnibus illis infligeret, qui fratribus suis sine prole mortuis

mortuis hoc officium præstare renuunt? Cum ergò contumeliam quandam huic crimini imponat (ut ex illâ lege *Deuteronomij* patet) cùm nemo tam cæcus est qui non videt *Onanem* tam fœdæ & impuræ pervicaciæ pœnas persolvisse, quòd semen, post illam acceptam, in terram tam malitiosè effunderet, quas eam refugiendo nunquàm persensisset.

Sed affines ejusdem gradus asseris non prohiberi, quò minùs matrimonium ineant, & hinc colligis jure perpetuo non impediri levirum à ducendâ fratriâ. Quid autem subvereris nos hoc argumentum inversuros, & disputaturos, nuptias reliquis ejusdem gradus interdici, quia leviro cum fratriâ denegantur? objicis nobis regulam quandam vestram, quæ dicit præcepta prohibentia, quòd odiosa sint, non extendi, sed restringi potiùs debere, & ipsis verborum quasi limitibus alligari. Paulò me audaciorem fortaßis existimabis, qui hîc tecum non dubito contendere. Sed certè malo tibi esse molestus, quàm veritatem deserere. Percurre singula Decalogi præcepta quæ prohibent: & non puto te tanta causæ tuæ affectione posse abduci, quin fatearis in singulis multa nobis imponi, ad quæ, licet vel bombicem, vel araneam nendi subtilitate vinceres, verborum significationem nunquàm educere vel extrahere poßis. Exempla in re tam aperta præterimus. Immò verò sæpiùs audivi vestræ disciplinæ homines distinguere inter illos, qui contrà leges faciunt, & illos qui in fraudem legum aliquid admittunt. *Nam contrà legem facere dicunt, qui id facit, quod lex prohibet: in fraudem verò, qui, salvis verbis legis, sententiam ejus circumvenit.* l.29.ff. de le.

Fraus

Fraus enim legi fit, ubi quid fieri noluit, fieri autem
L.30. cod. *non vetuit, id fit. Et quod distat* ῥῆτον ἀπὸ διανοίας, *hoc distat fraus ab eo, quòd contra legem fit.* Agnoſcis, niſi fallar, errorem tuum, & fateris in legum etiam prohibentium interpretatione illas eſſe vires æquitatis, ut verba legis ratione potiùs ſublevent, quàm rationem verbis onerent & coerceant. Sed interrogas num ergò regulam iſtam ut falſam & iniquam rejiciam? Ego quidem non rejicio, ſed veſtris eam diſceptandam examinandamque relinquo. Hoc enim mihi ſufficit, quòd oſtenderim, te illam ad tui propoſiti confirmationem violenter, & quaſi renuentem tanquam obtorto collo pertraxiſſe. Si tamen unico verbo loqui mihi liceat, quomodò eam intelligendam putem, ſtatutis potiùs municipalibus aſtringerem, quæ *poſitiva* dicitis, & de rebus adiaphoris fiunt, quàm per totum Jus ita liberè vagari paterer. Nam ſtatuta hæc non ita tutum fortè eſt extendere, quàm caſus in illis omiſſos ad Juris communis diſpoſitionem, tanquàm ad *Lydium* lapidem, revocare. Quamobrem illa tantùm hoc prohibere dicuntur, quod verbo prohibent: quia eorum conditores nihil aliud Juri communi velle addere judicandi ſunt, quàm ſe addere ſignificant. Atque hoc non tantùm de ſtatutis prohibentibus, ſed etiam aliquid fieri præcipientibus dici poteſt. Nam & ſubtilis aliquis diſputator, qui iſta paulò curioſiùs tractare ſtuderet, facilè vobis oſtenderet, leges, quæ vel maximè quid facere jubent, vi & poteſtate ſuâ ſemper contrarium prohibere. Sed hæc ſcholis accommodatiora videntur eſſe: nos ſingula quæ tu dixiſti, quanta poſſumus brevitate, perſtringere, vel ipſum tempus monet. Illud quod ex *Levitico* adduxiſti

adduxiſti de duabus ſororibus, diverſam â reliquis exemplis poſtulat reſponſionem, licet nihilò graviùs nos premat.

Ait *Moſes, Sororem uxoris tuæ in pellicatum illius non accipies, nec revelabis turpitudinem ejus, adhuc illâ vivente.* At ſi,nec mortuâ illâ, tale fieri aliquid Propheta noluerit (inquis) quid in illud etiam vetuiſſet? aut quorſum verba hæc (*illa adhuc vivente*) ſi neque mortuâ uxore idem permiſerit? Ejus loci germana ſententia eſt, ut polygamiam *Iudæis* (quemadmodum ſæpiùs jam dictum eſt) indulgenter permiſſam, ſic permitti oſtendat, ut tamen duas ſorores matrimonio ſimul retinere nullo modo liceat. Iam ſi quæras, quid mortuâ uxore quiſquam facere poſsit, ſimilitudo rationis ad decimum ſextum verſum ejuſdem capitis, tanquàm manibus, te ducit & docet, quoniam fratris tui defuncti viduam ducere non potes, ideò nec uxoris ſororem poſſe. Sed verba (*adhuc illâ vivente*) dicis vehementiùs nos premere. Certè non magis, quàm illud (*donec*) probet *Ioſephum* beatam virginem *Mariam* cognoviſſe, poſtquam primogenitum ſuum peperiſſet. Sic enim ratiocinari noſti deſperatos quoſdam hæreticos: *Et non cognoſcebat eum, donec peperit filium ſuum primogenitum*: ergò poſteà illam cognovit. Hoc argumentum quàm altis ſibilis eccleſia noſtra jampridem exploſerit,ignorare non potes. Quapropter ſatis mirari non poſſum, quòd iſti tuo tàm mordicùs inhæreas.

Levit.18.18.

Bellar.cap.27. de matr. ſacr.

Mat.1.25.

Quòd verò *Deum* προσωποληψίας ſuſpicione liberas, benè quidem agis, ſed quòd indè concludas Gentibus illum denegare nihil velle, quod *Iudæis* aliquando indulſit, atque ità fratriarum conjugia ſicuti illis, ſic nobis

bis etiam permittere, vim argumenti tui non percipio. Si hinc concluderemus, Deum nullam ob causam hominem homini unquam prætulisse, statim objicerentur nobis infinita exempla, quæ in sacris scripturis reperiuntur. Nam gloria conducendorum *Israelitarum* ex *Aegypto* per desertum usq; ad *terram promissionis soli Mosi data est*, reliquis quibuscunq; denegata. Disertis etiam verbis ipse *Deus* profitetur, se *Mosen* allocuturum facie ad faciem, sed reliquis *Israelitarum* Prophetis per visa & insomnia voluntatem suam semper ostensurum. *Abraham* ob fidem suam singularem & eximiam, unicus omnium fidelium pater factus est, & ejus liberi vocantur omnes, qui mysterium nostræ salutis fide apprehendunt. *Catholici etiam omnes* tenent, *Petrum Apostolum* solam esse *Petram*, cui *Christus* Ecclesiam suam inædificavit, neminemq; tantæ prærogativæ partem aliquam sibi vendicare patiuntur. Verba illa docent, *Deum Iudæos & Gentes* non nationum suarum varietate distinxisse, id est, illos dilexisse, quòd *Iudæi* essent, hos odisse, quòd *Gentes*, ut neque alios ob aliam causam extrinsecam quamcunque, vel amplecti, vel rejicere: sed unumquemque, sic maximè diligere, quemadmodum vitæ pietate reliquis plurimùm antecellit. Atque igitur cùm *Petrus* (qui circumcisioni vehementiùs fortè, quàm par fuit, addicebatur) viso illo moneretur *Cornelio* illi, minimè *Iudæo*, gemmam Evangelij tradere, opinionem suam mutat, & in hæc verba spiritus quâdam vehementia impellitur, *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus: sed in omni gente qui timet eum, & operatur justitiam, acceptus est illi.* Quomodò autem hæc ad nostram controversiam torqueri

Exod.

Num. 12. 16.

Gen. 17. 11.
Rom. 4. 11.

Act. 10. 34, 35.

torqueri possunt, non intelligo, nisi hinc leges singulas quas *Deus Iudæis* præcepit nobis etiam impositas fuisse contendas: quod quàm sit tùm ab illis *Apostoli* verbis, tùm à veritate alienum, non patrum tantùm, sed & universæ ecclesiæ testimonium ubiq; ferè prodit.

Pergis tu, & *Mosen* nunquàm existimationem suam tanto in periculo apud *Iudæos* constituere voluisse contendis, ut tantas sapientiæ laudes illis propter leges à se traditas ab aliis nationibus polliceretur, nisi eas naturæ congruas esse judicaret. Quippè nationes, à quibus istæ laudes expectandæ fuerunt, solum illud sapiebant, quod naturæ lumine docebantur. In hoc, ut in superiori argumento, facilè agnosco vestigia prædicti Apologiographi, qui, ut ipse dixit, propter nimiam festinationem (sed, ut ego puto, propter nimiam tarditatem) meliora excogitare non potuit. Hìc inter vos ipsos dissidetis. Alij enim vestrum utramque illarum legum politicam; alij naturalem & perpetuam esse defenditis. Sed nos priorem tantùm naturæ attribuimus, secundam cæremonialem, *Iudæorum* soli politiæ astrictam fuisse non solùm constantèr asserimus, sed plurimorum testium eorumque locupletissimorum fide confirmavimus. Vt autem hoc argumentum verbo retundam, vel omnes illas leges *Mosaicas* naturæ debes ascribere, vel nihil agis. Nam si ulla sit civilis tantùm, quemadmodum tu ipse multas esse confiteris: tum certè ratio hæc tua nihil ostendit, cur ista, de semine fratri suscitando, potiùs in illarum, quàm harum numero reponi debet. Atque hinc satis patet, non huic fundamento tum innixum fuisse *Mosen*, cùm populum illum in tantam spem honorum propter leges suas induceret.

Argumen-

Argumentum quod à duplici conjugij fine duxisti, reliquis nihilò fortiùs nos premit. Nam fratrum sororumque illa est æqualitas, ut non solùm soboli, sed & illis, de quibus loqueris, officiis sit accommodatissima. Immò verò constitutionum naturalium illa similitudo, quam inter fratres sororesque plerumque deprehendimus, liberorum spem multò majorem facit. Et cùm ad fraternum amorem accessio etiam fiat conjugalis, non parùm augentur illius obsequij vires, quas tam individuam societatem exposcere verissimè prædicas. Tamen primum hunc consanguinitatis gradum ab ista conjunctione naturaliter abhorrere, non solùm omnes theologi scripserunt, sed & universalis Ecclesia semper judicavit. Atque igitur, ut tibi concedamus matrimonium, quod suâ naturâ bonum est, cum casto cœlibatu collatum omninò vilescere: malè tamen hic colligis, nuptias, quæ cum fratriâ contrahuntur, aliis tantùm esse deteriores, per se minimè reprehendendas. Eadem enim ratione non fratrum tantùm atque sororum, sed & patrum liberorumque conjunctiones tantùm comparatione μήδε τῇ ὀυσία malas esse concluseris. Sed ut vitium argumennti tui agnoscas, si posuisses alterum conjugij finem, justam & legitimam sobolem (quod debebas) tùm negassemus leviri fratriæque conjugium talem unquam esse procreaturum.

Ad eandem metam collineat illud de Salvatoris nostri responsione ad *Sadducæos*. Sed æquè dixeris
Mat.25.27. *Christum* fœneratorum sordes probare, quòd alibi reprehendat servum inutilem, qui talentum fidei suæ commissum in terrâ defoderat, nec argentariis

expo-

exposuerat: vel etiam fraudem præcipere, cùm injustum æconomum laudet, qui rationes sui officij reddi- Luc. 16. vers. 1. & seq.
turus calculos dolosè subduxit. *Sadducæi* ad legem illam *Deuteronomicam* respexerunt, ut ex ipso contextu patet. Atq; igitur non adhuc convenit inter nos, utrum de germanis ipsorum quæstio intelligenda sit: & si sic intelligatur, tamen hoc illorum factum non reprehendit *Christus*, quià juxta legis præscriptum idem commissum fuisse illi proponunt: & nisi expectemus hîc ut *Mosi* se objiceret, & leges ab illo traditas apertè culparet ut impias & sceleratas, non video quid in hoc ejus responso desideraverimus. Noverat ille, pro divinâ suâ sapientiâ, versutum illud hominum genus & resurrectionis disciplinæ inimicum, nihil aliud quærere, quàm ipsius contumeliam. Quapropter cùm hanc difficultatem illi objicerent, undè eum nunquàm se expediturum suspicabantur: ille ad ineptias ipsorum eludendas parvâ declinatione telum effugit, quo eum penitùs transfigere speraverunt. Ità ut nihil mirandum sit, si pluribus non responderit, quàm ad abstergendam eam calumniam fuerat necesse. Sic enim eos qui astiterunt optimè perspecturos arbitrabatur, quantâ debilitate laborarent illi magistri, qui tam arroganti supercilio ambularunt, tantâque scientiæ suæ fiducia populum in tam desperatam hæresin abducere non dubitarunt. Istis argumentis tuis attexis etiam testimonia doctissimorum hominum, Glossographi nimirùm, & Lyrani. Sed (deus bone) quàm frigidè, quàm infœlicitèr? Illi duo tantùm ostendunt, quid per legem veterem licitum fuit, de sciti *Mosaici* vel continuatiòne, vel abrogatione, ne verbum quidem locuti sunt. Quaproptèr quod isti brevitèr perstrin-

xerunt, si *Bonaventuræ*, *Durandi*, *Thomæ Aquinatis*, *Augustini* verbis suprà repetitis illustrari feras, res omni dubitatione liberabitur, & clarum fiet, *Iudæos* fratrias ob causam sæpiùs nominatam ducere potuisse, nos itidem non posse. Quid enim? Nùm eos hoc simplicitèr defendere contendis? at tum ab ipsius ecclesiæ Pontificumq; scitis discedunt, quæ conjunctionem hujusmodi sine dispensatione tolerârunt.

In ultimum locum, non sine summâ consideratione procul dubio, stupendam illam *Apostolorum* autoritatem reservasti, qui non suo tantùm, sed & Spiritus sancti nomine jubebant *Antiochenos* abstinere tantùm ab immolatis simulachrorum, à sanguine, suffocato, & fornicatione. Primùm te interrogarem, nùm hoc ipsorum consilium perpetuam vitæ nostræ normam esse putes? Si asseras, tùm nunc etiam non solùm à fornicatione, sed & reliquis ibidem expresſis est abstinendum. Sin neges, tùm quorsùm adducis? Nam nisi dicas ab omnibus nunc etiam observandum, fateris illis ecclesiæ nostræ incunabulis esse accommodatum, nec hodiè nos obligare. Norunt *Apostoli* (inquis) multos tùm fuisse præsertim *Iudæos*, qui fratrias complexibus suis retinuerunt. Quòd ergò eos hâc de re monitos esse nollent, quid ni hujusmodi conjugia nunc etiam ferenda censuerunt? Dixerit quispiam ipso fornicationis verbo hoc delictum notatum fuisse, sicuti & polygamiam; sed ego hîc non insisto. Benè nobiscum comparatum putabimus, si nimiam severitatem illis initijs minùs concinnam fuisse agnoscamus, & multa nascentis ecclesiæ nostræ debilitati concedenda, quæ nunc illi confirmatæ & adultæ penitùs denegantur. Hoc si tu dissimules, quod non potes, si in hoc tuo exemplo constare

ſtare velis, argumentis & multis & certiſsimis tibi extorquerem. Sed obſecro, non etiam à cæde manus continendæ ſunt? non à bonis alienis? non à matrum & ſororum noſtrarum connubio? Quorsùm igitur hîc dixerunt *Apoſtoli Antiochenos* benè acturos, ſi præcepta ab illis deſcripta cuſtodirent, reliqua quæ etiam majoris ſunt ponderis minimè nominarent? Ipſe tu benè advertebas, controverſiam motam eſſe *Divis Apoſtolis Paulo* & *Barnabæ* per *Iudæos* quoſdam qui ſalutem æternam circumciſioni illi *Moſaicæ* alligabant: id eſt, ut ego interpretor, legibus illis cæremonialibus, quas *Moſes Iſraelitis* jampridèm imperaverat, quarum circumciſio præcipuum locum tenebat. Atque igitur hoc fuit *Apoſtolorum* Præsbyterorumque tùm *Hieroſolymis* degentium propoſitum, ut ſententiam ſuam de illis præcipuè ferrent. Cumque multa imbecillitati *Iudæorum* tribuenda eſſe charitas ſuaderet, non illas omnes tunc funditùs tollendas cenſuerunt, ſed aliquas adhuc in maturiorem Chriſtianæ Eccleſiæ ætatem differendas. Hinc ergò patet legem illam, quam *Sanctus Auguſtinus* & reliqui cæremonialem ducunt, tunc ſi non ſub nomine ſcortationis, at tamen inter reliquas fuiſſe antiquatam, quià ſpecialitèr hîc non permittitur.

Sed interpellantem te audire videor & ſciſsitantem, nùm ἀλισγήματα τῶν εἰδώλων ϗ τὴν πορνείαν legibus tantùm Cæremonialibus prohiberi putem? Certè non puto. Sed reſpondeo tamen juxta ſententiam Eccleſiæ noſtræ ſaniorumque interpretum, præcipuum *Apoſtolorum* inſtitutum ad leges cæremoniales tùm ſpectaſſe, prout occaſio

controversiæ subortæ postulabat, hæc tamen duo incidentèr esse adjecta, quià pertimescendum viderunt Apostoli in hâc coitione quasi connexioneque *Iudæorum* atque Gentium, nè vehementiores multò suborirentur controversiæ, tùm circà superstitiones illas, quibus Gentes tantùm imbutæ fuerunt, tùm etiam libidinum satiandarum modum & rationem, quam tàm *Iudæi* quàm Gentes nimis liberè atque petulantèr sunt consectati. Hoc igitur scandalum ut salubritèr anteverterent, non solùm sententiam suam exposuerunt de rebus ad ipsos tum relatis, sed de illis etiam quæ maximas turbas in Ecclesiâ *Christi* brevi concitare posse viderunt, ut fratres hîc præmunirent priùs atque confirmarent.

Hæc cùm ità sint *(Pontificie)* cave nè munificentiam tuam jactites largiendo, *Leviticum* illud præceptum esse perpetuum, hoc *Deuteronicum* quasi mortale & caducum. Nam illud tantùm das nobis, quòd pro æquitate tuâ denegare non potes. Quià tamen nos hîc tibi necessariò obligatos esse cupis, acceptum hoc referemus summæ liberalitati tuæ, & bonâ tuâ cum veniâ perpendemus quàm nervosè defenderis Papæ facultatem in dispensando super illis præceptis, quæ moralia sunt, & ad universum *Dei* populum æqualitèr pertinent. Privilegiorum tùm causas tùm naturam satis cōmodè & dilucidè mihi videris explicasse. Neq; de eorum utilitate sapiens quisquam unquàm dubitavit, utcunq; multitudinem imperitam semper habeant inimiciorē. Concedo etiam quæ Iurisconsulti *privilegia* solent dicere, nō vos solùm, sed & nos etiā *dispensationes* & *indulgentias* appellare. Hoc nescio quo modo mihi non placet, quod dicas Pontificem Romanū cum lege

divinâ

divinâ posse dispensare. Fatemur legum conditorem ipsis legibus non modò superiorem, sed etiam sic solutum, ut illas, pro arbitrio suo, figere vel refigere possit. Sed leges cujusquã superioris, quibus ipse est astrictus, quomodò coarctet quis aut reprimat, non intelligo. *Par enim in parem nullum habet imperium, multò minùs inferior in superiorem.* Quapropter, ut magistratus leges ab Imperatoribus positas interpretari possunt, tollere nullo modo possunt: sic Imperatores leges naturales atq; perpetuas explicant quidem, &, rerum necessitate nonnunquàm hoc exigente, comparatas alias alijs anteponunt, sed mutare vel deserere prohibentur. Pontificem ergò Romanum (quià hoc vult) concedemus Imperatoribus esse superiorem. Ecquid jam liberalitati tuæ nos debere putas? *Deo* tamen, ni fallar, vos omnes illum cedere permittitis, & tum certè consequentèr fatemini, leges divinas integras & illæsas semper debere conservare. Dedit enim illi *Deus* (tanquam Imperator suo præsidi) leges, ex quarum præscripto populum ditioni suæ commissum regat & gubernet, dedit illas explicandi facultatem, si quandò difficultas acciderit: dedit deniq; potestatem addendi novas, dummodò à seipso latis non adversas aut contrarias. Annon rebellem illum & refractarium existimabimus, qui tam amplo accepto diplomati non acquiescit, sed in ejus imperium, cui tantum est devinctus, legibus suis elevandis atq; enervandis tanquàm cuniculos agit? Vides quàm à *Pontificis* sanctitate alienum esse debet hoc nefandum scelus. Neq; certè bonus quisquam sedem illam unquàm occupavit, qui huc nequitiæ unquàm provectus est. Canones suos, si displiceant, corrigat; si mali sint, tollat; si etiam boni, pre-

L.4. & de rec. arb.

 mat

mat pro arbitrio suo in gratiam eorum, quos sibi devincire cupit: sed verbo divino si quicquam addiderit vel detraxerit, fines mandati transilit. Hoc enim est dividere regnum *Dei*: At regnum divisum non potest diù sine collapsione consistere. Quamobrem utcunq; reperti sunt multi vestræ sectæ, qui non dubitant Papæ potestatem dispensandi etiam cum verbo divino tribuere: tamen illi, qui suorum studiorum quasi rutam verbi divini pulegio condiunt atq; temperant, hunc tam crassum errorem tamq; effrænem petulantiam apertè detestantur. Nomina eorum recensere possem, sed tibi sunt satis cogniti, qui hoc dicunt.

Deut.4.2.

Magnum eorum numerũ recenset. Cover. par. 9. cap. 6 secundæ partis suæ epit. in 4. lib. decret. num. 6.

Vides ergò hîc digladiari inter se doctissimos tàm Theologos, quàm Pontificios, dum alij Papæ dispensandi autoritatem super sacris Scripturis concedant, alij negent, & illas tantùm explicare patiantur. Hos verbo tantùm contendere vult *Sepulveda*, dicitq; ociosam hanc esse pugnam, cùm dispensationem & explicationem nihil omninò differre dicat. Sed illius opinio mihi non placet. Nam hæ duæ multùm autoritate differunt. Quià qui explicat legem ab aliquo superiori principe mandatam, non derogat quicquam illi legi, sed pro summâ prudentiâ suâ verum ejus intellectum interrogantibus ostendit, & si quandò contingant occasiones hujusmodi quæ leges duas invicem collidunt, tùm ille utramq; comparat, atq; ad examen verbi divini revocando perpendit, consideratq;, utra minori cum pietatis jacturâ vel numinis offensione violari possit, & tandem, non pro arbitrio suo, sed pro rei justitiâ sententiam suam profert. Qui dispensat autem, non, quæ legis sententia sit, exponit; sed potiùs, legis sententiâ quantumcunq; prohibente, patitur quem

Lib.2.de rit. nup. & de disp.

in illam committere, idq; pro potestate quam in legem vendicat, quam nullam habet nisi lege superior sit.

Quapropter Papa legem divinam si perperàm explicat, non solùm ipse vehementèr delinquit, sed eum etiam delinquere cogit, quem sive calumniâ, sive ignoratione suâ quicquam contra verbi præscriptum perpetrare facit. Sed Canonem ecclesiasticum de rebus medijs latum, aut expresso *Dei* verbo minimè munitum papa non solùm abrogare, sed etiam ad tempus suspensum quasi tenere potest, idque pro arbitrio suo, licet causam ità magnam facti sui non videat. Quapropter *Abbas Panormitanus* reliquiq; (qui dicunt Papam maximis ex causis etiam contra novum Testamentum dispensare posse) sic intelligendi sunt, ac si dicerent Papam novum Testamentũ explicare posse, præceptaq; ejusdem cum præceptis comparare, & tandem quæ præferenda sint declarare, sic tamen, ut si non rectè declaret, non minùs *Deum* interpretatione suâ offendat, quàm præses Imperatoris leges violando & libidini suæ inflectendo, ipsum ad iracundiam provocat. Atq; procul dubio, cùm *Innocentius* ille tertius (cujus autoritate tu multùm gloriaris) *Livonienses* paulò antè in fidem Christianam traductos, fratrias, quas matrimonio sibi prius junxerant, adhuc retinere pateretur, non hoc ex indulgentiâ fecit, quemadmodum tu putas, sed quia videbat plures illosque è potentioribus hoc malo irretitos, quos verebatur non ipsos solùm ad idololatriam relapsuros, sed etiam totam illam nationem post se perfracturos, si conjuges, quas tantum amabant, se retinere posse diffiderent. Atque igitur hoc, quamvis simplicitèr non ferendum malum, ad tempus devorandum potiùs, quàm tàm

Gloss in cap. non. e. ext. de voto.

c. final. ext. de divort.

ingentem animarum numerum in tanto adhuc periculo relinquendum esse duxit. In hoc tamen coitum hunc & horrendum & exosum esse demonstrat, quià, licet in istis initijs ferat, tamèn se nullo modo laturum esse profitetur. Idem etiam de *Martini* quinti dispensatione, seu potiùs explicatione censendum est. Nam charitas me monet justæ causæ potiùs illam ascribere, licet nesciam quæ fuerat, quàm hominem, cujus innocentia probabilitèr defendi potest, tam atrocis delicti condemnare. Illud enim idem *Augustino* (quem *Anglorum* Apostolum nonnulli vocarunt, quòd fidem Christianam illic penè extinctam restituebat) scripsit vir ille nunquam satis laudatus *Gregorius* primus. *Cum* (inquit) *cognatâ quoquè misceri prohibitum est, quià per conjunctionem priorem caro fratris fuerat facta. Pro quâ re etiàm* Iohannes Baptista *capite truncatus & sancto martyrio consummatus est. Cui non est dictum ut Christum negaret, & pro Christi confessione occisus est: sed quià Dominus noster Iesus Christus dixerat, Ego sum veritas, quià pro veritate* Ioannes *occisus est, videlicet pro Christo sanguinem effudit. Quià verò sunt in Anglorum gente, qui, dùm adhuc in infidelitate essent, huic nefando conjugio dicuntur admixti, ad fidem venientes admonendi sunt, ut se abstineant, & grave hoc esse peccatum agnoscant, tremendum Dei judicium timeant, nè, pro carnali delectatione, tormenta interni cruciatus incurrant.* Intelligimus hîc virum illum sanctum non apertè pronunciasse separandos illos, qui fratrias suas uxores duxerant priusquàm ad fidem conversi sunt, nè fortè tàm splen-

didos

didos *Augustini* conatus hæc prohibitio, propter novitiorum imbecillitatem, impedire posset: sed tamen quàm execrandam putaverit hanc conjunctionem apertè declarat, &, ne in posterum attentetur, solenniter interdicit. Sed utcunque rebus sic stantibus ecclesia profiteatur se supplicium minimè sumpturam ab iis, qui hoc crimine contaminantur, meminerimus tamen divinam vindictam neminem propterea effugere, quia *Pontificis* indulgentiam ad hoc sit assecutus: sed eos sibi salutique suarum animarum optimè consulere, qui vel tale connubium nunquàm ineunt, aut imperitiâ initum quàm citissimè dissolvunt. Papæ enim, quos ad propositi tui confirmationem adduxisti, tantùm ad legatos suos rescripserunt, ne invitos aliquos à fratriis suis separarent, quas antè susceptam *Christi* fidem duxerant: ne (ut suprà dixi) mali multo deterioris periculum quasi accerserent: sed tamen si qui essent, qui disciplinâ Evangelicâ collustrati fratrias antè ductas nunc conscientiæ causâ deserere cuperent, hos non modò non impediendos, sed summoperè collaudandos ipsi procul dubio censuerunt.

Sequitur ut dispiciamus, quæ causa tam gravis *Iulium* ad dispensandum cum *Henrici* nuptiis impulerit. Illa enim si tanta fuerit, ut vel reipub. Christianæ diminutionem anteverteret, vel tantos acervos animarum inferni faucibus eriperet, ejus factum facilè defendi posset. Sed si solus metus tam amplæ dotis renumerandæ illum ad hoc moverit, certè potiùs ipse tantum *Anglo* remisisset de tam immensa pecuniarum vi, quantam ex illa natione

quo-

quotannis delibaverat, quàm tot annorum reditus perdendi, quot ille jam ab illis temporibus amisit. Nihil dicimus enim de labe, quam inde contraxit illa cathedra, tetriore quàm ulla temporis diuturnitas abluere poterit; nihil de jacturâ tot nationum, quot illud *Henrici* exemplũ ditioni *Pontificis* subtraxit. Sed spes duorum potentissimorũ regnorũ perpetuo pacis vinculo connectendorum, annon hoc evincere potest? At *Christo* jam antea tam *Anglus*, quàm *Hispanus* manus suas dederant, nihil contra ipsius dogma perpetrandum esse noverant, Papam hâc de re tantùm percontati sunt, nisi clandestinis aliquot argumentis ejus sanctitatem fortè superaverint: ille, si tantùm respondisset, hoc per sacras scripturas fieri non posse, non dubito quin multò firmiores certioresq; fœderis continuandi nationes, & illi principes quæsivissent, & *Deus* pro summâ clementiâ suâ præbuisset. Neq; verò Iulius ipse, quantumcunq; de publicâ Christianorum pace sollicitus atque anxius hoc desperavit, sed & hîc causam planè auream subfuisse vidit, cur illis in amicitiam tam propensis seipsum etiam tertium adjungeret. Amoris igitur atque charitatis hanc fœlicem occasionem è manibus sibi elabi passus non est, sed bonum hoc, quia sibi & duobus Regibus commune fuit, mirum in modum vir bonus amplectebatur. Lucrum, lucrum, pietatis & religionis sola pestis, ad nefandum istud scelus eum illexit. Quod luce clarius est, quid conamur tam sollicitè obducere? Si, lumina illa eloquentiæ, *Demosthenes* & *Marcus* reviviscerent, tam execrandum facinus colorare forsan, sed defendere nullo modo possent. Aestus nescio quis à proposito me paululùm abduxit: sed hîc subsisto. Rationibus iis, quibus Pontificem *Pontificius* propugnare studebat, satis responsum esse videtur. Nunc restat

ſtat ut partes noſtras pro virili confirmemus, & oſtendamus hanc *Leviticam* prohibitionem divino & naturali juri convenire, quod cùm paucis factum fuerit, perorabimus.

Ac ut veſtigia tantò certiùs figamus, primùm intelligatis velim, me jura illa appellare *divina* atque *naturalia*, quæ *Deus* mandavit non à *Iudæis* tantùm, ſed ab omnibus ſuis religiosè obſervanda. Non enim conſuetudine nationum tam commodè deſcribuntur, quàm illorum ſcientiâ, qui in voluntatis divinæ myſteriis eruendis ſtudium ſuum uberrimo cum fructu poſuerunt. Gentes à Deo defeciſſe novimus ad idola, verumq; numinis cultum non infinitis magis, quàm ſtupidis ſuis inventis contaminaſſe. Neque mirandum igitur, ob ſummi ultimique præcepti violationem, ſi gratiâ ejus deſtitutæ, tamque denſis errorum tenebris circumfuſæ fuerint, ut rectum ab iniquo diſcernere non poſſent, & τὰ καλὰ συνθήκην καὶ τὸ συμφέρον δίκαια quæ appellat philoſophus τοῖς ἁπλῶς καὶ τῇ φύσει καλοῖς facilè admiſcerent, plerumque etiam anteponerent. Hæc noſtri *moralia* appellant, & ſola è *Moſaicis* perpetua faciũt. Cæremonialia enim *Chriſti* adventu, tanquàm nubeculas ortu ſolis, diſpulſa atq; diſſipata eſſe dicunt: judicialia non evanuiſſe penitùs, ſic tamen manere, ut illis nullâ neceſſitate aſtringamur. Hujus rei ratio hæc mihi videtur eſſe, quia non prorſùs naturæ ſunt, ſed ſecundum potiùs ab illa locum poſsident, & civilis tantum utilitatis cauſâ ſtatuuntur. Sed dixerit quiſpiam, nonnè naturæ leges violantibus pœna etiam naturalitèr debetur? Certè quidem. Hæc tamen eſt ultio illa divina, non magiſtratus coercitio. Quapropter ut nemo præcepta naturalia tranſiliat, quin juſto *Dei* judicio (qui naturæ author eſt) æterna in

illam inferni pœnam subeat, hæc tamen supplicia corporalia, quæ politiæ gratiâ inducuntur, pro locorum & rerumpub. diversitate vel augeri, vel diminui posse nihil vetat. Illud autem *Leviticum*, interdictum divinum esse nemo negat, qui *Mosis* authoritatem in controversiam non vocat. Nam illum cælitùs mandata illa accepisse, quæ *Israelitis* præscripsit, omnes confitemur: naturæ etiam idem tribuere, vel hoc maximè me cogit, quia qui contrà ejus præscriptum conjunguntur, illo sui connubij effectu privantur, quem *Deus* omnibus constituit maximè naturalem, *Iudæis* etiam fœlicissimum atque faustissimum. Nam cùm hæc maris atque fœminæ coitio propagationem præcipuè spectet, *Iudæi* etiam in sobolis suæ perpetuitate summam hujus vitæ fœlicitatem collocarent, hoc leviri cum fratria connubium tam intestino odio detestatur, tamque ducit execrabile, ut sterile potiùs & infœcundum esse velit, quàm tam funestâ prole vel illorum progeniem augeri, vel ipsius gloriam promoueri. Ecce propaginem, quam *Deus* victu, luce, spiritu indignam putat, *Iulius* non solùm probavit, sed imperij triplicis hæreditati destinavit.

At interrogas, quorsùm tàm tragicè factum hoc exaggerem, quod ipse *Deus* eventu, non dico leve, sed justum & honestum esse docuit. Nam ineptè forsan maledictionem illam sterilitatis urgere tibi videmur, cum luce clarius sit, *Henricum* è suis cùm *Katharinâ* nuptiis, præter duos liberos, quos mors intempestiua sustulit, *Mariam* etiam procreasse, quæ imperium *Anglicanum* quinque annos plus

plus minùs procuravit. *Deum* falsitatis minimè dicis arguendum, atque igitur si legem illam æquè nobis atque *Iudæis* imperasset, eodem etiam supplicio ejus observationem exegisset. Subtilitèr quidem. Sed intelligendum est legem illam duabus partibus constare, præcepto nimirùm, & supplicio præcepti violatoribus inflicto. Præceptum est perpetuum omnesque spectat, tam *Gentes* quam *Iudæos*: supplicium, quia judiciale est, licet nunc non imponatur, ob id tamen præceptum etiam vires suas amisisse nunquàm probaveris. Nam hinc sequeretur, adulteros & filios obstinaces leviùs nunc delinquere quàm solent, quia mitioribus pœnis coercentur: fures etiam graviùs, quia quos *Moses* tantùm restitutione vel servitute repressit, nos capite plectimus. Scortatorem qui virginem nec desponsam comprimit, iracundiam divinam multò vehementiùs provocare quis non putat, quàm qui jumentum vicino suo subducit? Alterum tamen *Moses* jubebat, eam quam vitiaverat ducere tantùm, vel, patre puellæ hoc non ferente, concinnè dotare, nos ne illud quidem exigimus, sed pœnitentiâ canonicâ castigamus: alterum vel quintuplum restituere, vel si hoc non posit, in servitutem septimalem venundari voluit ille, nos ultimo supplicio perstringimus. Quamobrem ut externam pœnam, quam *Iudæis* fratrias suas contrà mandatum suum ducentibus, *Deus Henrico* non intulerit, hoc tamen vel *Iulij* scelus in suadendo, vel Regis illius delictum in contrahendo tales nuptias, nihil prorsùs excusat. Multa enim ostendunt legum illarum, quas non solùm tempore,

Exod.22.1.&c.

Deut.22.1.&c.

Exod.22.3.

tempore, ſed etiam ſpiritu eodem *Moſes Iudeis* imperavit, partem nos adhuc obligare, partem tanquam in aërem evanuiſſe. Exemplum unum aut alterum ſufficiet. *Deus* Sabbathi celebrationem ſeptimo quoque die ſic *Iudæis* impoſuit, ut in alium aliquem illud obſequium transferre nullo modo poſſent. Eadem nobis etiam incumbit, ſic tamen, ut Eccleſia noſtra eiſdem momentis ſe aſtringi ſuperſtitioſum putet. Ille igitur dies (ut noſti) ſacris noſtris præfigitur, quem illi ſuæ primum ſeptimanæ ſemper numerabant. Neq; enim tam in die, quàm in officio quod dies exigit, religionem collocamus. Satis intelligis, quot quamque diverſis cæremoniis myſterium paſchatis tum continebatur, cùm primùm
Exod.12. à *Deo* fuerit inſtitutum: quarum aliquas ut fortè obſervaverit *Chriſtus* in ultimâ ſuâ cœnâ, tamen aliquas eum manifeſtè neglexiſſe conſpicimus. Subſequentia verò tempora eandem ſacramenti naturam ſemper retinuerunt, ſed externam ejus ſpeciem & ſingulas ejus recipiendi circumſtantias mutarunt penitùs, & tanquàm ocioſas reſecuerunt.

Quid ſi quis eam duxerit, è qua frater ejus liberos ſuſcepit? an non juris naturalis vincula perrupit?
Lib.4.ſentent. diſt.41. can.35.q.5. c.porrò. Certè *Bonaventura* aſſerit & gloſſographus in tractatum *Gratiani* de conſanguinitate & affinitate dicit, *affines uxoris meæ vitandos eſſe in omni gradu, ut meos conſanguineos, & qui aliter dicit, tanquàm Antichriſtum eſſe fugiendum.* Et ratio quidem hujus aſſertionis in ipſo illo *Levitico* præcepto traditur
cap.18. apertiſsima. *Quia nimirùm turpitudo fratriæ tuæ, fratris tui turpitudo eſt.* Vndè conſtat, non levius hîc eſſe delictum, quàm ſi cum conſanguinea,

quæ

quæ eodem, quo frater gradu me spectat, id est, sorore mea, copulari studerem. Quid ergò, si sine liberis mortuus sit frater? num sterilitas efficiet, quo minùs natura violetur? Imò verò affinitas ipso conjugio contracta est viro cum uxoris, & uxori cum viri consanguineis. Quæ igitur nuptiis, vel ipso potiùs consensu primùm coaluit, illa à sterilitatis vel fœcunditatis non futuro solùm, sed incerto etiam eventu minimè dependet. Et ut nihil interest, multos an paucos liberos illa enixa sit, sic neque refert, aliquos an nullos. Affinitas enim soluto matrimonio durat, liberi sive sint, sive non sint, & nullâ temporis diuturnitate aboletur. l.5.ꝯ. de condict. sine cau.

At dixerit aliquis, quomodò igitur Dialectici verè dicunt, *relatorum eundem esse ut ortum, sic etiam interitum*? Frater quis fratris sui morte esse desinit: quapropter quidni fratria etiam illa desinat esse tum, cùm ille jam amplius frater non sit, per quem illa fratria fiebat? Huic, quisquis est, accommodatè respondet *Dionysius Carthusianus*. *Relata* (inquit) *desinunt esse dupliciter, primò ex corruptione subjecti, secundò ex subtractione suæ causæ. Nam fratrem meum cum uxore suâ conjunctum fuisse perpetuum est, nec aliter se habere potest. Quapropter & affinitas contracta nunquàm desinit esse ex subtractione causæ*. Et licet mutuus intuitus, qui causæ efficienti cum suo effecto intercedit, tum incipiat, cùm effectum progignatur, & alterutrius etiam interitu deleatur: tamen neque illud quod causa est alicujus effecti, ante effectum extitisse, nec effectum post causam extinctam superesse quicquam impedit. Vt igitur quis frater meus esse potest, priusquàm conjugio lib. 4. sentent. dist. 41.

suo

ſuo fratriam aliquam mihi faciat: ſic ſi poſtquàm hoc fecerit moriatur, effectum tamen hoc conjugij ſui nihilominùs durat, & quæ fratria inde mihi fiebat, ad ultimum vitæ ſpiritum fratria permanet.

Quòd ſi quiſquam hîc ex illo *Deuteronomico* mandato divinam voluntatem nobis objiciat, atque quòd *Dominus* manifeſtam diſtinctionem adhibuerit inter eas, quarum altera fratri noſtro peperit, altera penitùs infœcunda eſt, indè diſputet à nobis confundi non debere: ſatis illi jam anteà reſpondimus, cum oſtenderemus hæc duo præcepta ſic accipienda eſſe, ut alterum ſit divinum, ſed caducum, & Iudæis ſolis imperatum, alterum non divinum tantùm, ſed etiam naturale, perpetuum, nulliſque locorum, vel temporum limitibus circumſcriptum. Argumentum hoc multò commodiùs in eum retorqueri poſſe putamus, & ideò concludendum, hanc legem *Deuteronomicam* minimè naturalem eſſe, quòd à ſterilitate profluxerit. Nam cum ſterilitas efficiat, ut affinem meam licitè poſsim ducere, quam fœcundam non poſſem: tùm certè tenendum eſt, vel affinitatem matrimonium leviùs impedire quàm conſanguinitatem, vel ſaltem ſterilitatem affinitatis jus ſuâ naturâ perimere. Illud omnes omnium temporum *Doctores*, tam noſtri quàm veſtri, deteſtantur & exhorrent: hoc verum eſſe non poteſt, quia non fœcunditas, ſed conjugium affinitatem primò coagmentavit. Ex his ergò quòd appareat, affinitate adhuc perſiſtente, quam omnes fatentur ſuâ naturâ conjugium prohibere, levirum potuiſſe fratriam ſterilem conjugio ſibi copulare: certè

certè meritò dixerimus tùm aliquid præter naturam *Dominum* imperasse, cùm *Iudæis* hanc legem præscriberet. Neque hoc quidem mirum illis esse debet, qui norunt eum naturæ esse *Dominum*, naturamq; ab illo, non illum à naturâ dependere.

Geometræ dicunt, quæcunque uni & eidem sunt æqualia, illa sibi invicem esse æqualia. Et nos conversìm dixerimus, quæ sunt sibi invicem æqualia, cuicunque eorum unum æquale vel inæquale est, eidem & alterum esse æquale vel inæquale. Quamobrem cùm leviri atque fratriæ conjugium fratris sororisque conjunctioni semper æquale fuisse, non solùm ex illo ipso *Levitici* mandato, sed etiam ecclesiæ testimonio suprà probaverimus: hoc si juri naturali congruat, congruet & illud: hoc si repugnet, & illud necessariò repugnabit. Primum autem gradum consanguineorũ transversalium (sicuti fratris & sororis) à connubio naturam ipsam prohibere licet nonnulli negaverint, prævaluit tamen eorum autoritas, qui defendunt. Hocq; non solùm vir ille doctissimus *Covarruvias*, Divi *Augustini* plurimorumq; aliorum testimonio confirmat: sed etiam pater ille *Robertus* cum publico (ni fallar) applausu, suos auditores palàm *Romæ* docuit.

Euclid. 1. cō. senté.

Parte 2. suæ epit. cap. 6. par. 10. nu. 5. Bellar. cap. de sacr. matrim.

Nùm expectatis dum ista clariùs illustrentur? Si quis tam hebeti sit ingenio, ut meridianum solem serenissimo cœlo lucere dubitet, vel tàm moroso, ut cùm lucere videat, non hoc fateatur: tamen ab ipsis ethnicis consulo ut discat, in rebus obscuris audaciæ timorem anteponere. *Paulus* jurisconsultus, à nuptijs, quæ difficultatem aliquam habent, certius & modestius abstinere putat. Neque enim vestrum studium tantâ despicientiâ contemptioneq; refugimus, quin nostro nonnunquàm

L. 14 par. 3. ff. de ritu nup.

duxerimus admiſcendum. Facilè hîc intelligimus quantæ ſint pecuniarum vires, quæ non Chriſtianos ſolùm, ſed rei Chriſtianæ præfectos atq; ductores hâc clarâ Evangelij luce præcipites in eas ſyrtes conjiciunt, quas pagani in atrâ tot errorum nocte tâm facilè declinârunt.

Nunquàm ſatis mirari poſſum, quo fuco illam ſuam indulgentiam *Iulius* obduxerit, ut hominem, quantumcunq; ejus poteſtati deditum, eâdem tàm graviter eludere poſſet. Exiſtimatisnè ſcitum *Deuteronomij*, quod his conatibus prætexuit, ad hoc ſufficere? At ſi illud rectè perpendamus, inveniemus jubere fratrem, ut fratri ſuo, non ſibi, ſemen ſuſcitet. Hoccinè quæſivit *Henricus*, ut *Arthuro* ſine liberis defuncto debitum hoc perſolveret, an potiùs ut ex conjuge ſuâ ſibi hæredes gigneret? Portenta ſunt hæc. *Deus* ad externum tribuum atque familiarum incrementum, in quo *Iudæi* quaſi apicem ſuæ fęlicitatis collocârunt, hoc eorum imbecillitati præter legem naturæ elargitus eſt, ut frater fratris demortui defectus hîc ſupplere poſſet, & prolem re verâ ſuam, quâdam quaſi juris fictione non ſuam, ſed fratris efficere: quapropter Papa *Henrico* vult eſſe author, ut fratris ſui ſine liberis mortui viduam in matrimonium acciperet, non ut illi, ſed ſibi liberos procrearet. Hoccinè lex illa fert? ſi non, quorsùm tùm *Iulius* ejus æquitatem hîc prætendit? vel quorsùm non quemlibet alium fratriam eodem modo ducere permittit, quæ vel numeroſiſsimam fratri ſuo prolem peperit? Licet enim *Katharina* liberos *Arthuro* nullos eduxiſſet, dùm tamen *Henricus* non fratri ſed ſibi hæredes meditaretur, peſsimè fecit Pontifex, qui legis divinæ ſpeciem tàm impijs ſuis deſignationibus obtenderet.

Finem

Finem aliquem in ſingulis ſuis præceptis natura ſibi propoſuit, & agendo quod illa jubet, ni ad metam etiam colliniemus ab eâ conſtitutam, gravitèr delinquimus. Atque igitur ut cum jure naturali conveniret *Moſaicum* illud, quo fratriam accipere jubet, niſi tamen eodem conſilio accipiamus, quo ipſe jubet, multò meliùs eam relinqueremus. Quorsùm autem ducenda ſit fratris uxor, non ſolùm ipſe legiſlator apertis verbis expreſsit: ſed etiam *Rabini* & *Talmudiſtæ* rectè interpretantur, cùm dicant illud decretum fratrem cogere ad unicum tantùm filium fratri ſuo ſuſcitandum, atque, hoc facto, fratriã non ampliùs uxoris, ſed affinis tantùm loco reputandam. Hanc ſuorum interpretum opinionem *Iudæi* omnes ubicunq; diſsipantur (ſi vera ſunt quæ nos audivimus) nunc etiam ſequuntur & obſervãt. Pepinus in cap. 38. Gen.

Cùm *Moſes* fratriam ducere præciperet, eam propiorem nobis ſupponit, quam re verâ eſt. Nam me eandem perſonam cum fratre meo, & eam eodem loco, quo fratri meo vivo fuerat, mihi nunc eſſe ſimulat, uxorem ſcilicet, quæ affinis tantùm eſt, idq; ut quod ego facio, fratri meo, cujus vices gero, imputetur. At *Iulius* remotiorem *Katharinam* ab *Henrico* finxit, quàm fuerat, quæq; primo affinitatis gradu cum illo conglutinabatur, affinem diſsjmulabat, idq; ut ſuis, non *Arthuri* liberis operam daret. Quamobrem non ſolùm Pontifex impiè fecit, cùm hanc indulgentiam ſuam tàm ſpecioſo *Moſis* exemplo coloraret; ſed & tantæ tàmq; inſignis nequitiæ defenſores, ſi imperitiâ peccent, anilitèr delirant, ſi adulandi propoſito, malitioſè prævaricantur.

Sed hanc *Leviticam* prohibitionem à naturali jure derivari nihil mihi vehementiùs perſuadet, quàm perpetua conſtanſq; Eccleſiæ noſtræ conſuetudo. Nam il-

lam ſi à primis ejus incunabulis uſq; hodiernum diem deduxeris, hanc leviri fratriæq; conjunctionem ſemper exoſam fuiſſe reperies. Ità ut ſemel aut iterū in illis nationibus ad hoc Pontifices conniverent, quæ recentèr in ovile congregatæ ſunt, ſicq; ſe ante converſionem ſuam miſcuiſſent: qui verò vel in Chriſtianis adultis, vel adhuc etiam inchoatis ſaltem poſt ingreſſum ſuum tale aliquid ferret, nemo omniū ante *Iulium* extiterit. Nullosnè exiſtimabimus tot ſæculis fuiſſe inventos, qui hoc à Pontifice aliquo flagitarunt? At tùm, quid ni multò fortiùs concludamus hanc legem omnium animis ſic à naturâ inſculptam atq; inſitam, ut eam nullâ indulgentiâ, nullo privilegio mitigari poſſe crederent? Fuerunt aliqui, qui patres eccleſiæ hâc de re conſuluerunt, à quibus ſi intellexiſſent, impunitatem à Papâ conceſſam ſatis hîc eſſe poſſe ad iracundiam *Dei* leniendam: non dubito, quin vim exemplorum, quibus nunc tantum egent, hujus diſciplinæ propugnatores in libros ſuos coacervaſſent. Sed reliquorum, qui tàm enormi cupiditate prurierunt, ſucceſſus conjicere licet ex illâ epiſtolâ *Baſilij* magni ad *Diodorum* epiſcopum, quâ certiorem eum fecit ſe vidiſſe literas quaſdam illius nomine conſcriptas, quas tamen ab eo profectas minimè credidit: quòd ſcilicèt earum author, quiſquis erat, aſſeruiſſet hominem uxoris ſuæ demortuæ ſororem poſſe ducere, cujuſmodi nuptias *Baſilius* anteà non ſolùm nefandas atq; dirimendas pronunciaverat, ſed & à ſacris exterminatione caſtigandas, donec qui in illas irruiſſent, ad meliorem frugem ſe reciperent. Fuſior eſt epiſtola, quàm ut ſingula, quæ ad propoſiti ſui confirmationem vir ille ſanctus affert, à nobis repeti poſſint. Vobis ſi libeat eam percenſere, non dubitò, quin fructus inde perceptos

Epiſtola. 16.

operâ

operâ veſtrâ dignos putaveritis. Nemo tam ſtupidus & excors eſt, ut virum tàm prudentem, tàm pium, tàm mitem credat illarum legum violationem tàm acritèr punire voluiſſe, quas humanas tantùm & Magiſtratus arbitrio obnoxias eſſe judicaret. Eccleſia enim, cujus ſuavitatem & modeſtiam omnes eccleſiaſtici ſuis moribus adumbrare debent, nunquàm magna ſævit, niſi in eos, quos ab omni ſpe jam derelictos exiſtimat, & in deteriora ſcelera præcipitatos, quàm quæ vel difficillimâ pœnitentiâ deleri poſſint.

Sed unius judicium fortè vobis non ſatisfacit. Quapropter huic etiam, ſi volueritis, aſcribite Divum *Auguſtinum*, quo teſte, *Prohibitio illa de non ducendâ uxore fratris, & cætera omnia quæ in* 18. *capite Levitici prohibentur, debent, ſine dubio, tempore novi Teſtamenti (remotâ veterum umbrarum obſervatione) cuſtodiri.* Quibus verbis vir ille ſanctus optimè ſibi conſtat, qui (ut ſuprà audiſtis) legem eam *Deuteronomicam* de ſemine fratri ſuſcitando, veterem umbram ejus ſeminis fuiſſe dixit, quod Evangelij prædicatores fratri noſtro majori *Ieſu Chriſto* ſuâ induſtriâ culturâque producunt. Idem etiam cùm in præfatione libri, quem *Speculum* inſcripſit, profiteatur ſe ſelecturum eſſe omnia veteris Teſtamenti præcepta, quæ aliquid jubent vel vetant etiam tempore novi teſtamenti ad vitam piam exercendam, moresq; pertinentia; *Leviticum* illud de fratriâ non ducendâ reliquis ejuſdem naturæ annumerat, illud *Deuteronomicum*, quod ducere jubet, ut jam antiquatum & obſoletum omninò prætermittit.

q. 64. ſuper Levit.

Speculum.

Poſſem plures adjicere, eosq; non contemnendæ autoritatis viros, qui in hanc Divorum *Baſilij* & *Auguſtini* ſententiam jampridem pedibus iverunt: ſed vos

fortassè non tàm singulorum judicia, quàm conspirantia plurium suffragia permovebunt. Malo igitur vobis in memoriam redigere concilium illud celeberrimum è novemdecem reverendis episcopis temporibus *Constantini* magni conflatum, qui unico consensu sanxerunt,
Cap.61. *eum, quisquis (eorum saltèm jurisdictioni subditus) post obitum uxoris suæ sororem ejus duceret, quinquennium à communione abstinere: nisi fortè velociùs dari pacem necessitas coegerit infirmitatis.* Huic adjungere etiam possumus concilium *Aurelianum* primùm è 33. clarissimis præsulibus conflatum, qui vetuerunt
Cap.2.num.2. *superstitem fratrem thorum defuncti fratris ascendere, & etiam quenquam se amissæ uxoris sorori sociare, eumq; qui hoc faceret ecclesiasticâ districtione feriendum.* Sed dixerit quispiam, has synodos provinciales, ut aliquam autoritatem habeant propter eorum præsulum sanctimoniam qui eisdem interfuerunt, tantùm interdicere tamen talia conjugia & anathematis notâ ad tempus premere, non conglutinata dirimere. Hi concilium *Aurelianum* tertium adeant, & illic intelligent,
Cap.10. *In futurum, quod de incestis conjunctionibus in anterioribus canonibus interdictum est, observandum esse.* i. *ut ne quis sub conjugij nomine sociare præsumat relictam patris, filiam uxoris, relictam fratris, sororem uxoris, &c. Quòd si qui in hoc incesto adulterio potiùs quàm conjugio fuerint sociati, quamdiù se non sequestraverint, à communione ecclesiasticâ repellantur.*
Cap.11. Cum hoc conjungite synodũ *Arelatensem* sub *Charolo* magno congregatam. *De incestis conjunctionibus* (inquiunt illi gravissimi Pontifices) *sicut à sanctis patribus institutum est, nihil prorsùs veniæ reservamus, nisi cùm adulterium separatione sanaverint; Incestos verò nullo conjugij nomine deputandos, quos etiã*

desig-

designare funestũ est, hos esse censemus, si quis relictam fratris, quæ penè priùs soror extiterat, carnali conjunctione violaverit, &c. Hæc omnia deniq; synodo Moguntinâ terminabimus, cujus sententiâ, *Si quis duas sorores duxerit, vel si quæ duobus fratribus nupserit, seu cum patre & filio, item si quis relictam fratris, quæ penè soror extiterat, carnali commixtione violaverit &c. distringũtur, & ulteriùs nunquàm conjugio copulantur, sed sub magna districtione fiunt.* Istis acquiesco, non quòd plura adferre non posim, sed partim quià hæc in re manifesta nimis multa videntur esse, partim quià reliqua à viris illis doctisimis percensentur, qui *Iulium* pridèm in hâc causa perculerunt.

Aliquis fortasis hîc objiceret præcipuorũ celeberrimorumq; illorũ totius ecclesiæ conciliorum sanctiones sicco pede hæc prætérijsse, & ex obscurioribus quibusdam conventiculis illud avidè me corrosisse, quòd tàm afflictam causam quantulũcunq; recreare posint. Sed tu, *Pontificie*, pro summa tua lectione, non ignoras illa prorsùs hac de controversia nihil loqui. Neq; enim mirum, quòd apertior res est, quàm ut tàm solennẽ descisionem exposcat. Non dubito alicubi repertos esse nonnullos, qui in hoc tam nefandum scelus se ingurgitare minimè reformidarent. Nihil enim est tàm flagitiosum, in quo aliquis non delinquit. Episcopi igitur in suis synodis provincialibus, ut tàm horrendo flagitio occurrerent, nunquàm disceptandum censuerunt, hoc an crimen esset (neq; enim aliqua hîc mediocris causa dubitandi fuit) sed potiùs cujus supplicij metus homines audaces & impuros à tãta turpitudine deterrere posset.

Quid igitur est amplius, quòd ad hujus consuetudinis fidẽ desideratis? Omnia quæcunq; congregata sunt concilia, vel judicia sua hâc de re tacuerunt, vel à nobis protulerunt. Patres ecclesiæ tàm prisci quàm re-

centes, hanc disciplinam nostram strenuè defendunt: nemo est omnium illorum, quorum autoritatem vestro errori prætexitis, qui leviri fratriæque conjugium flagitiosum non existimavit. *Gregorius* ille magnus, in cujus humeros, velit, nolit, maximam hujus oneris partem conjicitis, nefandum peccatum, grave, & tremendo *Dei* judicio obnoxium esse dicit. Quapropter ut *Augustinum* hujusmodi nuptias inter *Anglos* ante ipsorum ad *Christum* conversionẽ initas dirimere non jusserit, monere tamen voluit, ut ab hujusmodi conjunctionibus ipsi recederent, nec (ut ipsius utar verbis) *Pro carnali delectatione tormenta æterni cruciatus incurrant.* At frigidus orator esset, qui hoc modo lupanaria publica defendere non posset. Pontifex ea *Romæ* in vico unico tolerat ac permittit: nùm ergò scorta illa, quæ tam lutulentam vitam insectantur, non peccant? Quorsùm ab ecclesiæ septis exterminantur? quorsùm tàm assiduis sanctissimorum hominum è medio vico concionibus monentur eam impuritatem relinquere, rationemq; vitæ honestiorem aliquam circumspicere? Nemo sic unquam disputavit: Prostibula *Romæ* sunt, ubi bonâ cum Pontificis veniâ mulieres artem meretriciam liberè exercent. Ergò benè vel saltem non malè agunt, quæ sic victum quæritant. Quæ autem majores sunt hujus vestri argumenti vires? *Gregorius* in *Anglis* hoc vitio, cùm jam infideles essent, irretitis, postquàm ad *Christum* converterentur, levirorum, fratriarumque conjugia pro imperio suo dissolvere noluit, sed tantùm illos sedulò admonitos esse cupijt, ut ipsi suâ sponte quamprimùm vindictam divinam huic sceleri debitam & imminentem subterfugerent, & hunc jumentorum potiùs, quàm hominum coitum

Loco supra recitato.

coitum cum sanctiori conjunctione cõmutarent. Ergò hoc connubij genus *Deum* (saltem *Pontifice* dispensante) minimè offensum reddit. Tuum acumen, *Pontificie*, multis modis exploratum jam dudum habui. Quapropter utcunque modesta (non enim demissam dicam) humilitas *Pontificum* authoritati te astrictum hactenus tenuerit, acerrimumque tuum ingenium in defensione potiùs, quàm examinatione suorum scitorum exercere fecerit: non dubito tamen quin quemadmodum per hanc transennam oculi tui lucem minimè speratam persentiscunt, sic discendi aviditas, quæ plurimùm semper in te viguit, amorem rationis multò vehementiorem in animo tuo deinceps excitaverit. Vestræ sectæ homines in voce *Pontificis* non minùs quàm ethnici in *Apollinis* oraculo conquiescere soletis: illum nunquàm à recto veritatis tramite deflectere posse mordicùs tenetis, singula quæ loquitur, *Deum* ipsum spirare defenditis: sed nobis ut hæresis semper visa est à bonis paparum præceptis recedere, quòd eoram vitio aliquo nonnunquàm offendamur: sic è contrà summa stultitia ad vitia quoque eorum accedere, quorum aliquo bono præcepto ducimur.

Obliviscere *Iulium* tam solutam nuptiarum libertatem *Henrico* concessisse: metum omnem tam sublimis authoritatis depone: finge aliquem mediæ fortunæ hominem limen tuum accedere, ut tuam de hujusmodi conjugio sententiam imploret. Quòd aliâs Cap. 18.
sedulò facis, nonne te converteres ad caput illud *Levitici*, de quo tot verba jam fecimus, & ejus circumstantias pro rei magnitudine perpenderes? Faceres profectò, ac primò omnium majestatem illorum verborum considerares, *Ego Dominus Deus* vers. 2, 4. 5.
vester,

vester, hincque conjiceres non vulgare aut quotidianum esse, quod Deus instituit: sed cum iterùm eadem atque tertiò geminari perspiceres, priusquàm ad illud perveniat, quod *Israelitis* est imperaturus, augustum, sanctum atque stupendum aliquod numen illuc meditari judicares. Pergendo denique, quæ ibi mandantur pervolvendo, & demùm etiam incidendo in *Ego*
vers.21. & 30. *Dominus*, videtur sanè pertimescendum, ne horrore perfusus totis artubus contremisceres. Sed pessimè ferres, procul dubio, mentem cujusquam à libidine sic occupari & obsideri, ut rei tam execrabili colorem aliquem honestatis adhærescere posse speraret. Quid tandem, cùm *Aegyptiorum*, quòd hoc flagitio con-
vers.3. taminati essent, magnam partem miserrimis truculentissimisque suppliciis primùm exhaustam, deinceps exercitum undis marinis obsorptum, populum *Cananæum* vel cæsum funditusque extinctum, vel è terrâ,
vers.27. quam incolebant, fertilissimâ beatissimâque præcipitatum fuisse cogitares? Nonnè clientem tuum quantumcunque amore æstuantem & inflammatum cohibere motus suos hortareris, & omnem tam funestæ conjunctionis spem penitùs abjicere? Annuis. At tùm certè tàm angusti pectoris esse non debes, ut, quod suâ naturâ iniquum est, illud vocem Pontificis æquum facere posse somnies. Sic enim Papa diceret, *Ego Dominus*, & revera *Dominum* dominorum sibi ipsi postponeret, cujus generalis in terris vicarius tantùm haberi cupit.

Nihil dicunt, qui, ad tegendum *Iulij* dedecus, *Katharinam* ab *Arthuro* penitùs intactam fuisse prædicant. Nam ejus diploma *Henricum* eam (licet fortè cognitam) ducere permittit. Quod quanquam tàm largiter

largitèr Pontifex non concessisset, jejunam tamen eorum defensionem esse docebimus, qui *Katharinam* virginem *Henrico* traditam esse contendunt. *Nam ut nuptias consensus, non concubitus facit*: sic & omnia inducit, quæ è nuptiarum jure consequuntur. Quapropter vir fœminæ in domum suam deductæ, licet adhuc carnalitèr non cognitæ, donat quidem inutilitèr, quia uxori dare intelligitur, quod leges vetant. Etiam quæ nupsit cuiquam, licet adhuc virgo sit, cùm vir moriatur, & dotem, & de dote actionem habere potest. Prætereà jura tam divina quàm humana viri sui vendicat. Nam familiam suam mutando, & sepulchri, & privilegij cujuscunque particeps fit, quod ad virum suum pertinet. Denique, si quis absens per procuratorem suum aliquam uxorem duxerit, & antè reditum mortem obeat, illa quidem non minùs anno luctus astringitur, quàm si viri sui consortio jam diu gavisa fuisset. Hæc tamen Canonistas multos nihil movent, quò minùs affinitatem viro cum uxoris, aut uxori cum viri sui consanguineis antè seminum commistionem contractam esse negent. Ratio, si quid ego judicare possum, contrarium planè suadet. Nam affinitas verà è nuptiis procul dubio coalescit. Nuptias autem, ut diximus, non copula sine consensu, sed consensus sine copula facit. Quòd verò dixerit aliquis, canones non permittere, ut quis aliquam accipiat uxorem, cujus consanguineam anteà compressit, idque quia jam per coitum affinitas inita sit: respondemus hoc fieri fictione juris, & ab homine ad publicam honestatem, non à *Deo* ad naturæ normam esse constitutum? Siquidem nullum tale præceptũ sacræ scripturæ usquã cõtineant.

Atque

l. 30. ff. de reg. jur.
l. 6. C. de do. int. vi. & ux.
l. 7. ff. de rit. nup.
l. 1. cod.
l. 6. cod.
cap. 5. extra de eo qui cog. con. uxo. suad.

Atque hoc in causa est, cur egò potiùs viris doctissimis assentiar, qui contrarias partes tuentur, dicuntque copulam illicitè præcedentem affinitatem non efficere. Nam rationis præsidio non contemnendo sententiam suam munire videntur. Quia si coitus affinitatem dijudicet, tum vel sola seminis immissio hoc facit, vel etiam commistio requiritur. Si sola immissio sufficiat, tum coitus Zodomiticus æquè atque ordinarius affinitatem procrearet; quod omnes negant. Si commistio etiam accedere debeat, tum affinitas, nisi genitâ prole, nunquàm esse intelligitur. Quia spermata permisceri nemo dixerit, donec hoc soboles demonstret. Hujusmodi verò judicium quàm incertum primò atque dubium, quàmque etiam fraudi obnoxium, nemo non videt.

Panor. iuxta Hostiens in c. fraternitati extra eod.

Sed ut istas *Pontificiorum* altercationes paulò sordidiores relinquamus, ipsum præceptum *Leviticum* distinctionem in coitu minimè constituit. Nam turpitudinem fratriæ nostræ detegere illic prohibemur, quæ verba oculos, non tactum respiciunt. *Cham* ille maledictus, quòd in pudenda genitoris sui cum delectatione aliquâ oculos conjiceret, nosti quantam ærumnarũ vim tum in se tum in posteros suos congesserit. Quid futurum putassemus, si contrectasset manibus suis, aut fœdiore aliquâ contumeliâ patrem suum affecisset? Non omittendum est illud, quod dicit peritissimus *Durandus*, *Sponsalia*, scilicet, *quiddam affinitati simile contrahere*, *tantumque ab affinitate distinctum*, *quantum ipsa differunt à matrimonio*. In sponsalibus nihil est, quod cum coitu comparari potest. Atque igitur si ejus sententiam sequi voluerimus, coitus in affinitatis coagmentatione locum non

Lib. 4. sentent. distinct. 41.

non habet. Possem hic medicorum cohortes contrà vestræ disciplinæ defensores educere. Sed nescio quo modo licet *sint omnia munda mundis*, verborum sonitum, quibus eos necessitas uti cogit, & refugit lingua mea, & aures vestræ respuerent, procul dubio, repudiarentque. Hæc igitur cum propositum nostrum satis corroborârint, nosque multò effusiores, quàm pro re tam apertâ, fuisse videamur, hîc vela contrahemus, & in gratiam cum amantissimo *Pontificio* nostro redibimus. Arg ad Rom. 14. vers. 2.

Post aliquod intermissum silentium, dixit *Historiographus*: Prudenter fecisti, *Theologe*, qui unâ fideliâ duos dealbasti parietes. Hoc tuum acumen non me solùm à viribus subtilissimi disputatoris protexit: sed hos etiam *Anglos* maximo tibi devinxit beneficio, quòd ELIZABETHÆ suæ natales tam pulchrè propugnaveris, & à labe, quam nos Catholici tetriorem putavimus, quàm ut ullâ temporis diuturnitate deleri posset, unicâ ferè horâ perpurgaveris. Hæc in principes officia mihi multùm placent, tam justa præsertim, atque his temporibus necessaria, quæ nulli dignitati, nulli ferè innocentiæ parcunt. Optarem ergò, si non minori cum fide hoc fieri posset, non solùm illam consanguinitatis suspicionem, quam *Henrico* cum *Anna Bolena Sanderus* intercessisse criminatur, tolli, sed etiam vitam ELIZABETHÆ, quæ tot annos tàm illustrem magnificumque populum fœmina rexit, ab illâ tùm luxuriæ & impudicitiæ, tum erga *Pontificem* & *Hispanum* injuriæ notâ liberari. Sed vox populi, vox *Dei* est: & omnium doctissimorum hominum, quibus *Auglia* nunc florere dicitur, nemo est, qui hanc defensionem unquam au-

ſus eſt in ſe ſuſcipere, ſed omnes ſuâ taciturnitate culpam aliquam agnoſcunt majorem, quàm ut ſcriptis depelli poſſit: atque igitur tantâ cum integritate hoc quenquam præſtiturum eſſe magis omnes ſuſpicantur, & ſi hoc veſtrum quiſquam pro ſuâ obſervantiâ cuperet, tempore tamen excluditur. Faciamus unum aut alterum paſſum, & fortaſſe menſa nobis extruetur. Hæc dixit, & nos veniam petentes, quòd aliàs invitaremur, non dimiſit, priuſquam reciperemus nos poſtero die ad prandium eſſe reverſuros.

Finis primi Dialogi.

DIALOGVS II.



Ostero die redivimus ad prandium, ubi quidem lautè splendideq́;, multò familiariùs tamen quàm pro usitato fastu hujus civitatis excepti sumus. Mensis sublatis, & aliquo tempore in sermonibus festivioribus posito, surreximus, & ab *Historico* ducti, in porticum denuò nos contulimus. Illuc non citiùs intraveramus, quàm *Sanderi* de *schismate Anglicano* librum, de industria (ut videbatur) cum duobus tribusvè aliis illic repositum in manus sumpserit, & locum istum illinc recitaverit. *Erat* Anna Bolena *uxoris* Thomæ Boleni *equitis aurati filia: uxoris dico, nam ipsius* Thomæ Boleni *filia esse non poterat, propterea quòd illo in* Francia *legatum agente, & biennium ibi commorante*, Anna Bolena *interim domi cōcepta est & nata. Cum enim Rex* Henricus Thomæ Boleni *uxorem adamaret, ut eâ liberiùs frueretur, virum sub specie honoris in* Franciam *ablegavit. Interim* Anna Bolena *domi concipitur, & nascitur.* Thomas *autem* Bolenus *post biennium è* Franciâ *rediens cùm uxorem suam peperisse filiam vidisset, ulciscendi hujus adulterij cupidus uxorē apud Archiepiscopi* Cantuariensis *delegatos Iudices in jus vocatā repudiare in animo habuit. Uxor hujus rei certiorem reddit* Henricum *Regem. Is* Marchionē Dorcestriæ *ad* Thomam Bolenum *mittit cum ijs mandatis, ut abstineret à lite, condonaret uxori, eamq́; iterum in gratiā reciperet.* Bolenus *quanquàm* Prg.14.

quàm à Regis irâ sibi timendum videret, tamen priùs mandatis ejus non paruit, quàm ab uxore audisset ipsam à Rege sollicitatam fuisse, nec Annam Bolenam *alterius quàm Regis* Henrici *filiam esse. Proindè in genua procumbens rogabat virum, ut sibi parceret, de cætero se fidelem ei conjugem futuram. Quod ipsum cùm Marchio* Dorcestriæ, *aliíq; viri primarij tam suo quàm Regis nomine peterent,* Thomas *uxori conciliatus* Annam Bolenam *filiæ loco educat.*

Hunc locum cùm percurrisset, quid dicitis, viri *Britannici* (inquit) hæccinè vera esse confitemini? Tam vera, respondit *Politicus*, (Nam alterum nostratium sic, alterum *Iurisconsultum* distinctionis causa nominamus) quàm quæ nullam fidem merentur. Non jam primùm impudentissimum hunc libellum vidimus, legimus eum & relegimus, pluribusque mendaciis quàm paginis (penè dixissem, quàm lineis) eum scatere, non dubito, quin aliquis *Anglus* multo antehac universo terrarum orbi probavisset, nisi quòd libri istiusmodi parciùs & furtim apud nos invehantur, invecti autem in hominum lue Pontificiâ infectorum manibus lateant, lucem publicam nusquàm aspiciant. Nec tamen tam clandestinè istos illuc irrepere fatemur, ut consiliariorum oculos vigilantissimos evadant. Sed ij cum eos Reginæ monstrent, petantque si cupiat tam obscœnis calumniis responsionem aliquam adhiberi, semper illa quidem majores augustioresque gessit spiritus, vel synceriori potiùs innocentiæ tum parentum, tum suæ testimonio freta est, quam ut verbum illis fieri pateretur. Pontificem enim & Sacrificulos infestiores duxit, quàm

ut defensioni cuiquam quamvis justissimæ acquiescerent: principes verò nobilesq; exteros, & omnes in papismum non juratos semper prudentiores æquioresq; existimavit, quàm ut tàm incredibilibus, tàm inauditis, tàm absurdis mendacijs fidem vel minimam adhiberent.

Statim *Historicus*: Nos testes sumus hesterno horum doctissimorum hominum sermoni te multum debere; tu ipse (ni fallar) principis vestræ, quæ *Annæ Bolenæ* filia est, existimationem tanto apud nos discrimine relinquendam minimè ducis. Licet igitur nos nihil moneamus, commune tamen subditorum officium hoc intelligis exigere, ut tum utrumque parentem, tum ipsam à tam tetrâ infamiæ notâ, modò si possis, liberes atq; vindices. Tantum abest, (subdit *Politicus*) ut subterfugiam hoc onus, licet grave mihi nimis, & ponderosum, ut illud subire penitùs gestirem, nisi inter perorandum extimescerem me, per linguæ vestræ imperitiam, quæ mihi minimè nativa est, risum potiùs vobis esse commoturum, quàm veritatem tàm seriò, quàm res tanti momenti flagitat, persuasurum. Imò quidem (inquit *Historiographus*) nihil est hîc quod subverearis. Sic loqueris Italicè, ut nisi te *Anglum* prodidisses, nos ex sermone *Florentinum*, aut ex aliquâ aliâ *Thusciæ* civitate oriundum conjecissimus. Sed quià nemo nisi diturno exercitio linguæ cujusquam singulos apices sic adipiscitur, quin in longiore sermone plerũq; labatur, si id tibi fortè contigerit, nos facilè feremus, & omnia te rectè dicere putabimus, quæ ingenuè, verèque dixeris. Paululùm respiravit *Politicus*, & in hunc modum exorditur.

HENRICVM *Annam Bolenam* primò genuisse, deinceps nuptijis maturam conjugio sibi **Politicus.**

copulasse, *Sanderus* affirmat. Scelus equidem truculentum, atque facinus ut inter homines Christianos inauditum, sic ullâ subsequentis vitæ sanctimoniâ vix expiandum. Divinam iracundiam fornicatio multùm provocat, adulterium incendit, incestus planè inflammat. Omnium autem incestuum hic flagitiosissimus est, & à communi naturâ tantum abhorrens, ut non homines solùm, sed & ipsa bruta parentum sobolisque coitum maximâ semper intestinâque detestatione refugisse philosophi scribant. Qui igitur tàm atrox maleficium, tamq; portentosam nequitiam cuiquam affigere cupit, ineptissimus quidèm est atque vecors, si satis existimet hoc verbis tantùm asserere, levioribusvè conjecturis inducere. Vitium hoc quò immanius & horrendius est, tantò rarius existit, atq; igitur vulgus ipsum haud facilè credit, sapientiores nũquàm sibi persuadent, eo vel improbissimũ aliquem infici, quem argumentis ipsa luce clarioribus perstringi non sentiunt.

Henricus autem iste quis fuit? nùm de fæce hominum? nùm vetus sector aliquis aut gladiator? nùm moribus ità ferus atq; barbarus, ut hominum de se opiniones contemneret? nùm in omne nefas sic projectus, ut futuri judicij cogitationem deposuisset, aut scelerum suorũ conscientiâ spem æternæ vitæ profligasset? Imò sanè *Henricus* parentibus natus est ijs, quorum cùm alter certissimum jus ad imperium *Anglicanum* omnium confessione haberet, uter tamen justiori titulo idem vendicaret, multi gravissimè disceptarunt, nullus sic definivit, ut rem extra controversiam reliquerit. Patre fuit *Lancastrensis*, matre *Eboracensis* familiæ principe & hærede: quæ duæ diadema *Britannicum* acri contentione, varijsq; successibus multos annos ambierunt.

bierunt. Quapropter *Deus est in utroq; parente*, Genitor ejus *Henricus* septimus, *Rex fuit virtute, fortunâ, gloriâ, rebusq; gestis clarissimus*; *Elizabetha* mater, *Edovardi* quarti filia, fœmina modestiæ, pietatis, religionis commendatione nulli secunda. Ipse non solùm corporis dignitate præstabat, sed ab optimis institutus præceptoribus, eruditione bonisq; artibus sic profecit, ut cum *Martino Luthero* de religionis veritate congredi non dubitaret, & indè *fidei Defensoris* honorificam appellationem sibi suisq; in regno *Anglico* successoribus à Pontifice tributam assecutus fuerit. Ovid.lib.13. Meta. Polyd. in Hen.7.

Hoc autem cum decimo quarto anno Regni sui contingeret, multùm ante *Katharinam* repudiatam temporis interfluxit, ità ut istis virtutum initijs licet perpulchris nihil obstantibus, per multa facinora ad illud filiæ suæ ducendæ scelus omnium nefandissimum sensim & pedetentim labi posset. Siccine? Usque annum decimum nonum sui regni sic in Ecclesiæ defensione permansit, ut quam priùs doctrinâ & ingenio, nunc opibus atque gladio protegeret. Cum *Gallo* enim conspirans, exercitum *Romam* in Pontificis auxilium contra Imperatorem misit. Anno verò, si non eodem, at proximè ad summum subsequenti non tàm ipse, quàm Cardinalis nuptias suas in controversiam vocavit. Quid tum *Henricus*? Pietatis credo septa statim transilijt, & obedientiæ erga Pontificem fræna perrupit. Nihil minùs: ipsum *Clementem* septimum ut herì audivistis, supplex adivit, ejusque sententiam, exploravit, ut in eadem conquiescere, suamque conscientiam stabilire posset. *Clemens* conjugium hoc decreto suo dissolvit, ità ut toto hoc tempore non tàm nos, quàm ipsi Pontificij eum summis laudibus efferendum procul dubio censeant. Usq; ad nuptiarum quæ- Hol.in Henrico.

 stionem

stionem totus à Pontifice fuit, in illâ discutiendâ Pontificem solum secutus est, Pontifice non authore nihil fecit, donec tandem vaferrimè se elusum persentisceret, *Romæq;* non tàm veritatis, quàm temporum & occasionum trutinâ singula ponderari intelligeret.

Qui igitur sic vitam egit, ut eorum consilijs religiosissimè semper adhæresceret, quos omnium sanctissimos integerrimosq; judicavit: non est credile eum deprehensis tandem fraudibus quibus irretitus tenebatur, tàm velle famæ salutisq; suæ perpetuā jacturam facere, quàm, capto saniore consilio, tàm perfidos duces relinquere, & alios melioris fidei circumspicere. Quicquid enim deliquit, inscitiâ & credulitate deliquit, malitiæ vel levissimum signum non apparet. Per quos cœlum, & perpetuam animæ suæ beatitatem speraverat, ab illis in immensum inferni gurgitem se penè jam præcipitatum intellexit, idque non suo, sed ipsorum judicio. Quapropter revertendum censuit aliquandò, non *Deum* adhuc flagitijs accumulandis incitandum. Ad scelus tàm horrendum ut aliàs adduci posset: nunc certè tristissimis divini judicij cogitationibus exterritus, tale aliquid minimè omnium auderet.

Dixerint forsan *Henricum*, licet multis virtutibus exornatum, juventutem tamen suam in lasciviam liberiùs effudisse. Non tàm acerbè quidèm hoc ferimus. Non enim est hoc solius *Henrici* vitium, sed illi cum omnibus ferè adolescentibus commune, quibus ad libertatem fræna paulò solutiùs relaxantur. Itaq; ut hoc mendacium sit, dum tamen vulgari hominum imbecillitate illum notet, non efferatis illis aut belluinis flagitijs premat, quorum atrocitatem communis natura exhorrescit, etiam ipsa nomina nemo sine summa

mâ deteſtatione audit, non equidem tam graviter ſuccenſebimus. Principes atq; nobiles omnes appellamus, qui juventutis æſtus quandoq; perſenſerunt, quique remotis tandem cuſtodibus ſuis, ipſi ſciunt, quomodo mollem illam & infirmam ætatem tranſmiſerunt, nùm quemcunq; luxurioſam adoleſcentiam traduxiſſe intelligunt, eò nequitiæ ſtatim prolapſum eſſe putent, ut inter inceſtum atq; ſtuprum non diſtinguat. Non dubito quidèm, quin ſinguli hoc argumentum derideant, dicantque multis gradibus, longiſsimoq; intervallo hæc duo vitia invicem dirimi, & plurimos eſſe, quos ineuntis ætatis fervor ad alterum eorum facillimè movit, ad alterum tamen nulla libidinis vis inſtigare, nulla lucri ſpes pellicere, nullus periculi metus impellere potuit. Videtis (viri ornatiſsimi) quomodò diſputationis cauſâ conceſsimus illud, quod *Sanderus* non probavit, ſcilicet, Regem hunc non ſeveriſsimis legibus juventutem ſuam aſtrinxiſſe, ſed communi juvenum viâ ad annos maturiores perveniſſe: & tamen intelligitis quantum abſit, ut ex moribus ejus reliquâq; vitâ hujus criminis, quod ei tam audactèr affingit, vel leviſsimam ſuſpicionem injiciat.

Sed *Thomas Bolenus* è *Galliâ* rediens, cùm ſe abſentem filiâ, cui ipſe nullam operam dare potuit, auctum intelligeret, hanc contumeliam non ferendam cenſuit, ſed uxorem in jus vocatam divortio ſegregare conatur. Teſte igitur *Sandero*, eam in jus vocaverat. Vbi diploma Iudicis, quo uxor adeſſe jubebatur. Nùm ſic perijt, ut nulla ejus memoria exiſtat? At fora apud nos eccleſiaſtica notarijs publicis juratiſq; non carent, qui vel minutiſsima decreta Iudicum non ſolùm optimâ fide deſcribunt, ſed ſummâ diligentiâ in Archivis reponunt

& custodiunt. Quapropter si diploma sit extinctum, quod cur credamus, causam quidèm neq; nos vidimus, nec *Sanderus* ostendit: at tamen libri illi majores, qui quicquid interloquuntur Iudices, fidelissimè continent, adhuc apparent. Illi citationis hujusmodi nullam omninò mentionem faciunt.

At si *Sanderi* narrationem benè animadvertamus, facilè intelligemus illum non modò uxorem citatam, sed & causam quâdam tenùs provectam innuere. Nam illa postquàm vocata jam fuerat, hoc Regi indicat. Rex quo potissimùm modo *Thomæ* iracũdia lenienda sit, quid ni primùm apud se perpendat, deinde nuncium idoneum circumspiciat? Cùm de Marchione *Dorcestriæ* cogitaret, cum illo rem altiùs adhuc exagitat, & tandèm jubet ut hominem adeat. Marchio tantam severitatem viri ergà uxorem tantoperè exulcerati non temerè, non levitèr deprecari statuit; ergò primò à Rege ad virum prudentem missus, quomodo ipsum pertentare, quibus argumentis suadere potissimùm possit, non desidiosè cogitat. *Bolenus* Regis postulata minimè contemnenda videt, tàm insigne opprobrium devorare non potest. Ista difficultas consilium & deliberationem exposcit. *Reges quod rogant, jubent*, quicquam sibi negari, molestè ferunt. *Henrici* igitur iracundiam licet pertimescendam duceret, tam insigni tamen cum contumeliâ declinandam minimè censuit. Iudicia tàm aperta violati thori, virum & prudentem & peramantem non levitèr percellunt. Ipsum quidèm tantâ ægritudine pressum & onustum rei tanti momenti parem fuisse nemo sapiens crediderit, sed amicos potiùs & consanguineos in istis angustijs necessariò consuluisse, quid sibi faciendum existimarent.

rent. Post habitam deliberationem (*si Sandero* credimus) in judicio procedendum statuit. Rex denuò ad eum mittit, eum qui nuper petitionem Regis non sine deliberatione rejecerat, nunc verisimile est, non statim admisisse: tandem tamen exaudit, precibusque flectitur. Hæc omnia spacium postulant non paucorum dierum, idque postquàm uxorem *Thomæ Boleni* in jus vocatam fuisse *Sanderus* asserat. Nos hinc colligimus non solùm monitionem, quâ illa ciebatur, sed & viatoris responsum, partisq; citatæ vel comparitionem vel non comparentis contumaciam libris illis publicis fuisse commissa. Tale nihil in illis extat, & tamen nihil tollitur, nihil deletur, nulla vel levissima fraudis suspicio deprehenditur. Quapropter nisi hujus unici calumniatoris fides tantùm apud vos valeat, ut nec plurium juratorum integritate, nec communi usu, nec apertissimâ ratione præponderari possit, hæc non tam convicia, quàm phrenetici cujusquam insomnia existimare debetis, & ut solo risu digna prætermittere.

Certè quò magis istam *Sanderi* fabulam perpendo, tantò mihi apparet insulsior atq; futilior. Nonnè observatis eum dicere, quòd *Thomas Bolenus* è *Franciâ* rediens uxorem suam peperisse viderit? At non pellicem tantùm, sed & ab omni tàm pudore, quàm pudicitiâ desertam eam fuisse oportet, quæ cùm sacrum conjugij fœdus tàm turpitèr commaculasset, crimen suum ne dissimulare quidem conaretur. Estnè credibile eam filiam spuriam domi retinere, & cùm mariti reditum appropinquare intelligeret, nec è conspectu suo ad tempus removere voluisse? Quàm hoc absurdum est, quàm ab omni probabilitate abhorrens & alienum?

Loco supra recitato.

 Fœmi-

Fœminæ ut nihil plerumq; habent præter castitatem in quo multùm glorientur, sic eam multæ solertissimè custodiunt. Et si quæ sit salacior, quàm ut marito suo contenta vivat, crimen tamen suum multa arte tegit & obtendit: & sic deprehensa nonnunquàm ut turpitudinem suam denegare vix possit, in perjuria tamen, imprecationes, & blasphemias audacissimè prorumpit, ut pudicitiæ existimationem aliquam vel levissimam tueatur. At tamen hæc *Boleni* uxor, nè vel à perditissimis omnium scortis impudentiâ vinceretur, filiam suam quam in absentia mariti & conceperat, & pepererat, non abscondit quidem alicubi apud suos, sed domi ab illo ipso conspiciendam reservavit.

Quid hoc monstri est? aliæ meretrices viros suos fallunt quidem, & sibi tanto placent magis, quò hoc faciunt astutiùs & artificiosiùs. Vnica *Boleni* uxor ab initio rerum humanarũ reperta est, quæ matrimonij vinculum violare satis non duxit, nisi illud marito suo, quamprimùm posset, indicaret. Hîc quidèm vel ipsius *Sanderi* me miseret, qui petulantiam suã tàm puerilitèr, tàm ineptè prodit. Cùm enim dicat *Bolenum* reversum vidisse filiã, quam ipse non genuerat, idem planè dicit, ac si fateretur tanta maledicẽdi libidine se laborare atq; prurire, ut dùm HENRICVM, & ELIZABETHAM convicijs proscindat, nihili faciat, quàm apertè, quàm ex professo mentiatur. Dixisset homo imprudens, hanc mulierẽ filiam hanc spuriam, quamprimùm in lucem eduxisset, alicubi clanculùm elocasse, valdè anxiam fuisse, nè hæc sua perfidia ad mariti aures perveniret: vel si non sic, tamen cùm de viri reditu nuncius afferretur, eam, ad minimum, summo metu perterritam, in locum aliquem amotum & secretum ablegasse, atq;

abdidisse,

abdidisse, ne forsan repentinus contumeliæ suæ conspectus eum ad furorē aut rabiē majorem irritaret, quàm vel suis blanditiis, vel amicorum intercessione sedari posset. Sic enim, licet mendacij labem *Sanderus* non effugisset, at tamen prudentiæ existimationem, quam multò chariorem, quàm integritatis laudem semper habuit, aliquo modo sartam tectam conservasset.

Sanderus, si reviviseceret, cuperem mihi responderet, *Thomas Bolenus*, postquàm tam manifestum adulterij argumentum in uxore suâ deprehendisset, utrùm tam atrocem injuriam cum ipsa primùm expostularet, an potiùs ne verbo quidem, aut saltem non multo sermone habito, rem ad *Archiepiscopi* delegatos deferret? Interrogavit eam primò, ni fallar, cujus illa infans filia esset, & cùm intelligeret à conjuge suâ esse editam, percontabatur procul dubio, quomodo hoc fieri posset, ut ipsa, se biennium absente, tam paucorum mensium infantulum pepererit. Veritatem cum exploratam haberet, verisimile est eum inter reliqua petiisse, quis eam sollicitasset, & spuriæ quis pater esset. Quid tum illa? protervè forsan se gessit, & apertam infamiam potiùs incurrere, quàm patrem prodere elegit. Nemo hoc dixerit, ut opinor; sed eam potiùs crimen, quod negare non potuit, optimo quàm potuit fuco colorasse, dixisse se multis precibus fatigatam, & vi penè oppressam, priusquam vinceretur, idque ab ipso Rege, à quo, si voluntati ejus cupiditatique denique restitisset, non leve periculum sibi vel marito suo pertimescendum fuit. Cùm *Bolenus* Regis nomen audivisset, quid fecisse putatis? num, illo inconsulto, conjugem vocasse in jus? Aut *Henricum* non novit, qui hoc credit, aut saltem

rem

rem tantam satis pro dignitate non expendit. Nam illa cum *Henrici* nomen huic delicto suo prætexeret, *Bolenus*, si fidem ejus sermoni haberet, vidit se dedecus hoc ulcisci non posse, quin Regis offensioni se objiceret, id est, si non morti, certissimæ tamen calamitati & ærumnæ. Si Regem falsò accusatum suspicaretur, eum adivisset procul dubio, ut non solum conjugem adulteram divortio tantò faciliùs separare, sed & *Henrici* iracundiâ quoq; premere, & tanquam præcipitem in crucem agere posset.

Hoc igitur quod *Sanderus* dicit, nimirùm *Thomam Bolenum* uxorem vocasse in jus, deinceps à Rege ad lenitatem motum sed non flexum, & tandem cum *Henricum* hujus criminis socium intellexisset, iracundiam suam remisisse, mendacium suum nullis tenebris obducit, quemadmodum ipse putavit, sed detegit potiùs & ipsâ luce clarius reddit. Nam quod primò omnium uxorem facturam quilibet mentis compos juraret, hic insanus & furore prorsus occæcatus ultimò eam, nec omninò nisi coactam fecisse refert. Neque quidem evaserit dicendo illam metu sic fuisse perculsam, ut Regem appellare non auderet. Nam non tam inepta atque sciola fuit, quam Rex hic magnanimus amore suo dignam putavit, ut cùm spuriam ostendisset, patrem ejus se virum suum celare posse confideret, aut cùm patrem indicandũ videret, illud serò potiùs faceret, quàm tum cùm minima famæ suæ jactura secutura fuisset.

Vnicum adhuc *Sanderi* argumentum excutiamus. In illo tempore quo *Henricus* nuptias cum *Annâ* meditari cognoscebatur, *Thomas Bolenus* (si *Deo* placet) in *Gallijs* denuò agebat, & hæc nova non priùs audivit, quin, deserto legationis munere, statim in *Angliam* advolaverit,

volaverit, Regi scilicet indicaturus, *Annam* esse filiam suam, atq; igitur conjugem esse non posse. Cui indicaturus? *Henrico?* quasi, si aliquid tale fuisset, ipse hoc melius non nosset, quàm *Bolenus?* Vt *Sanderi* fides hîc cõsistat, postulandum est ad morem Geometrarũ principium: nimirùm, ut vir potens & illustris stuprũ mulieri inferat, eamq; hinc gravidam faciat, & hoc ab ipsâ aliquandò non intelligat. Istud si concedamus, *Sanderus* statim inferet quod vult, sed si denegemus, languescit disputatio protinùs atq; cadit. In gratiam ergò tam boni theologi, fingamus *Henricũ* post *Thomæ Boleni* discessum, uxorem ejus sollicitasse, compressisse, nec semel aut iterùm, sed sæpiùs, donec tandem conceptum indicia proderent, tandem nec eam interrogasse, nec ab illa audivisse quorsum res devenisset. Hoc multum quidem est, neque tamen satis. Nam adhuc supputetis oportet, eam Regi filiolam in absentiâ mariti peperisse, sicque hoc illum celasse, ut nunquàm significaret, nec secessionem quidem ad tempus peteret ad utriusq; existimationem, quâ jam eos graviter laborare necesse fuit, sustinendam. Hæccinè minùs probabilia videntur? Si fateamini, tum de sacrificuli hujus authoritate penitùs actum est. Nam nisi vera concedamus, quæ non modo lippus, sed etiam oculis planè captus aliquis primo intuitu falsissima dijudicaverit, *Henricus* aut *Thomæ Boleni* uxorem gravidam non fecit, aut saltem se fecisse cognovit. Næ igitur *stolidum* illum meritò dixisset, quem legationem suam deseruisse, tantoq; labore, & tam celeri festinatione in *Angliam* properasse videret, ut eum ejus rei certiorem faceret, quam ipse multò meliùs novit. Noverat fortasse, sed oblivisci potuit. Ocio certè non videmur Pag. 17.

tàm

tam abundare quàm abuti, qui hominem impurum in iſtas ineptias ſequimur. Si quiſquam ex Venere furtivâ filiam ſe ſuſcepiſſe ſciverit, ſiccinè ſtatim omnem hujus facti cogitationem abijcit, vt nullâ ejus vel delectatione vel mœſtitiâ in poſterum moveatur? *Henricum* in omnem intemperantiam profuſiorem eſſe *Sanderus* vult, quàm ut ullo ejus tædio caperetur: at nos, ſi hoc verum ſit, meritò dixerimus eum liberos quos genuerat, cum voluptate fuiſſe recordatum, etiam nonnunquàm aſpexiſſe, accerſiviſſe. Sed ut alij propter locorum fortè disjunctionem illi è memoriâ potuerint elabi, tamen *Anna*, quæ cum parentibus in Aulâ atque ob oculos ejus quotidiè verſabatur, nunquàm potuit. Videtis igitur, uti ſpero, hunc conviciatorem, quantumcunque ſuo judicio vafrum & aſtutum, laqueo, quem aliis ſtruxit, teneri irretitum, & iis ipſis circumſtantiis, quas ad mendacium hoc ſtabiliendum fulciendumque tam affabrè dolavit, redargui penitùs & everti.

Durè nobiſcum agitur, quibus non ſatis eſt denegare, quod adverſarij nullo colore nobis objiciunt, niſi etiam innocentiam noſtram apertiſsimis argumentis confirmemus. Quoniam tam difficilis & moleſta provincia nobis obtruditur, eam ut poterimus, ſuſtinebimus, & neceſſariis evincemus argumentis, *Thomam Bolenum* vel in *Angliâ* fuiſſe, cum *Anna* conciperetur & naſceretur, aut ſaltem *Henricum Annam* in matrimonium petiiſſe, cùm tantùm decem annorum eſſet, atque uxorem duxiſſe, priuſquàm illa conſenſum matrimonio per ætatem præbere potuiſſet.

Legatio hæc, quâ *Sanderus Thomam Bolenum* ſub

specie honoris in *Franciam* ablegatum esse prædicat, anno salutis humanæ post millesimũ quingentesimum decimo nono, eoque jam penè decurso suscepta est. 1519
Vicesimo igitur *Anna*, ad minus, nasci debuit, si post patris discessum concepta fuerit. Anno post totidem 1520
vicesimo octavo *Henricus* suas cum *Katharinâ* nuptias ventilare cœpit: Vicesimo nono in *Annam* pri- 1528
mùm animum conjicere: ante triennium peractum, 1529
anno scilicet *Domini* post mille quingentos tricesimo secundo, & die *Novembris* decimo quarto eam con- 1532
jugio sibi copulavit. Hic igitur calculus, qui quidem est verissimus, ostendit aut *Annam* conceptam fuisse, priusquàm pater ejus legationem illam obiverit, aut saltem *Henricum* eam jam vix novennalem deperisse, & in matrimonium petiisse. *Deus* bone: homo jam plusquam quadragenarius tantillæ ætatulæ puellam uxorem cupiebat? Quis ille? certè non *Henricum*, non Regem magnanimum prudentissimumque, sed stultum, insanum, aut delirum aliquem esse oportet, qui tale aliquid in animum induxerit. Vix me contineo, quin exclamem: sed hæc impudentiæ ὑπερβολὴ risu fortè dignior est, quàm ut cuiquam bilem commovere debeat. Herclè si præmium mendacibus hodiè proponeretur, quemadmodum olim in *Olympo* currentibus proponebatur, ego ad tale aliquod obtinendum, non historiæ veritatem, *Sanderum* hæc scripsisse judicassem.

Sed *Sanderum* cum *Sandero* conferamus; videbimus quàm nostrâ refutatione non egeat, quippè qui sibi ipsi manifestè contradicit. Ipse non multò post locum ab illustrissimo nostro *Historiographo* modò percursum, asserit *Annam Bolenam* ante illud tempus, quo

quo eam Rex amare cœperat, cumque 15. annorum esset, à quodam qui *Thomæ Boleno* à poculis, atq; etiam
p.26. ab altero, qui eidem à sacello fuit, compressam, deinceps profectam esse in *Galliam*, tantâq; illic lascivia diffluxisse, ut in tetram ignominiam, atque adeò *Gallorum* omnium, præsertim Aulicorum, apertum derisum se projecisset. Quomodò obsecro utrumque horum conviciorum verum esse potest, ut *Anna* primùm absente patre conciperetur, anno nimirùm 1520, vel ad minus in exitu 1519, deindè pòst justum puerperij tempus nasceretur: & tamen priusquàm *Henricum* amore teneret irretitum, id est, ante nonum annum à natalitiis completum, in *Gallijs* fuisset, & ibi tam turpiter se gessisset, ut communi omnium ludibrio haberetur? Aut ænigma quidem est hoc obscurissimum, aut illustrissimum mendacium. Vos vestro utimini judicio, nos *Sanderum* Sphynga non negabimus, *mon-*
Æneid.3. *strum* scilicet *horrendum, informe, ingens*: donec tamen *Oedipus* detur aliquis, qui mæandros hos esse doceat, & illis nos explicet, ego mysterium hîc nullum contineri credam, sed hunc hominem mendacissimum cote (quemadmodum nos loquimur *Angli*) vel etiam creticâ remunerandum.

1532. Audite reliqua: anno 1532 die *Novembris* 14 duxit
Annam Henricus, quũ sc. annos undecem cum semisse
Hol. p. ad summum complevisset, si *Sanderus* eam in absentia patris conceptam & natam fuisse verè dicat: 7 Septembris proximè subsequẽtis ELIZABETHAM nostram peperit. Eam ergò concepit, antequam annum duodecimum peregisset. Quod ut fieri posset, quàm rarò tamen fiat, medici optimè intelligunt, quorum dogma secuti legumlatores fœminam ante annum duodecimum

mum completum nuptias contrahere non permittunt. Nec tùm quidem patiuntur, quià tam citò omnes concipere possunt, sed potiùs quia naturæ æstus tunc temporis aliquantulum accendi solet, & eas ad conjūctionē proclives, licet ad pariendum non adhuc habiles efficere. Cum igitur *Anna*, quandò ab *Henrico* ducebatur, non solū eleganti formâ corporisq; compositione præstanti fuerit, sed & ætate nuptijs idoneâ, & (quicquid *Sanderus* contrà dicit) ingenij virtutisq; dotibus vix cum aliquâ ejus temporis fæminâ conferendis: fieri non potuit, quin aliquot annos ante legationem patris susceptam nasceretur.

Sed dixerit forsan aliquis, *Thomam Bolenum* antè hoc tempus legatum in *Franciam* ab *Henrico* potuisse mitti. Nusquàm hoc apparet: Non solùm historias nostras perscrutati sumus, sed & reconditiora illa monumenta, quæcunq; apud eos extant, qui pristinorum inter *Anglum* & *Gallum* cōmerciorum memorias custodiunt, indagari pervolviq; novimus, & nullum vestigiū, nullam vel levissimā conjecturam talis cujusquam legationis reperiri. Tantùm semel *Mariā Henrici* sororem Ludovico Gallorū 12 nupturam cū multis alijs Angliæ nobilibus, postquā *Henricus* solium *Ang*: conscendisset, anno quinto comitabatur. Sed tùm in mense *Septembris* à *Doroberniâ* solverunt, in *Angliam* antè proximè subsequentia salvatoris natalitia singuli redierunt. Verisimile putatis, ut tàm longam legationem aliquis apud Gallum obiverit, & nullas suæ negociationis literas ad regem aliquandò scripserit? Literæ autem legatorum solertissimè custodiuntur, & nunc haberi possunt, quæ multò ante illa tempora scribebantur. Cum ergò nullæ tales à *Boleno* extent, res ipsa clami- 834 Hol. p.

clamitat legationem hujusmodi illi nullam unquàm fuisse delatam.

Sanderus tempora notavit, sed ætates personarum vel summa hallucinatione ignoravit, vel perniciosissimâ fraude reticuit. *Annam*, quando cum *Henrico* copulabatur, vicesimum quintum annum si non complevisse, tamen egisse nos *Angli* constantissimè tenemus, & ipse calumniator non obscurè indicat. Quindecem enim annorum fuisse prædicat, (licet falsò) priusquàm in *Gallias* mitteretur: Postquam autem illuc appulisset, primò apud nobilem quendam educatam, & deinceps ad aulam Regiam se contulisse. Quàm diu vel apud nobilem illum, vel in aulâ degerit, silet prorsùs: nos tamen aliquot annos hic consumptos esse minimè dubitamus. Tandem in *Angliam* revertitur, & apud parentes commoratur. Incidit controversia de *Henrici* cum *Katharinâ* nuptiis. Integrum interfluit quadriennium, & *Anna* ducitur: cùm nimirùm *Henricus* 23 annos & sex menses cum imperio nostro fuisset. At tum si *Anna* plures annos vixisset, quàm regnasset *Henricus*, quî fieri potuit, ut hoc *Henrico* jam Rege, *Thomas Bolenus* honoris causâ in *Gallias* mitteretur, & *Anna* interim conciperetur? Superstite adhuc *Henrico* septimo nata est, dumque *Henricus* filius adhuc in Ephebis esset, sedulusque præceptorum suorum auditor, à quibus pater cum erudiri cupiebat, ipse eam disciplinam imbibebat, quæ reliquam ejus vitam summis doctrinarum prudentiæque laudibus tantum illustravit. Quin iret se perditum, aut ad minus invidiâ rumperet *Sanderus*, si nunc viveret, & ad hos calculos mendacia sua revocari videret? In vestro nunc est arbitrio, *Sanderonè*

an

an historijs annalibusq; nostris fidem habueritis, hosti nimirùm exulcerato, an obsignatis tabulis, homini natu multò minori, quàm ut tantæ vetustatis scientiam aliquam habere posit, an illis memorijs publicis, quæ summâ integritate tùm conficiebantur, & usq; hodiernum diem non minori retinentur.

ELIZABETHA nostra, quam ex *Annâ* suscepit *Henricus*, mortuâ sorore suâ *Mariâ*, licet amicis non careret, inimicos tamen tot tantosq; habebat, ut non sine difficultate aliquâ diadema *Britannicum* obtinuerit. Nam non solùm nobilium potentisimos, sed & episcopos omnes, à quorum aliquo juxta priscam *Angliæ* consuetudinem ungi & coronari debuit, factio Pontificia sic abripuerat, ut eam, quòd *Lutherano* dogmate tingi crederetur, solennitatibus illis usitatis decorare ad tempus procacissimè recusaverint. Quid eos facturos existimamus, si hujus maculæ, quâ *Sanderus* nunc tandem eam coinquinare studet, vel levisimam suspicionem tergiversationi suæ prætexuisse possent? Vel si tùm repugnandi tempus non fuerit, at tamen qui, regnante *Mariâ*, minimas molestiarum ansas contra eam quotidiè arripuerunt, qui cùm veras non invenirent, iniquisimas finxerunt, qui caput ejus innocentisimum infinitis machinationibus petierunt, nemo dubitare potest, quin si eam prolem judicassent incestuosam, ab omni imperij spe in perpetuum exclusissent. Religionem enim ejus, quam in medijs ærumnis suis minimè disimulabat, tàm acerbo tamq; intestino odio semper insectabantur, ut pleriq; non regni succesionem tantùm illi intercipiendam, sed & vitam ipsam adimendam censuerint. Hæc natalium labes eorum

culos vigilantissimos evasit, qui veritatem hujus rei perscrutari & facillimè potuerunt, & libentissimè voluerunt: & nunc tandem, nescio quo viso vel ostento, *Sandero* patefacta est, cùm è tot millibus, qui illis temporibus vixerunt, nesciamus si quisquam superstes relinquatur, cujus judicium tùm cùm *Anna* nasceretur, per ætatem aliquod esse potuit. Atquè hæc sunt non omnia quibus hæc *Sanderi* calumnia refelli posset, sed fortè tamen plura, quàm contra hominem tàm confidentem tantique supercilij vos expectabatis.

Lib.30. pag.319.

SIC non citiùs locutus fuerat *Politicus*, quàm *Historiographus* avidè *Sanderi* librum denuò corripuerit, & indè verba sequentia percensuerit. *Hâc Ecclesiæ contra ipsam sententiâ, & catholicorum novis incrementis quotidianis non mediocritèr offensa* Elizabetha, *convocatis ordinibus, leges valdè iracundas & cruentas contra veteris fidei cultores promulgat: quibus primùm cavetur, ne quis* Elizabetham *hæreticam, schismaticam, infidelem, usurpatricem sub pœnâ capitis vocet. Item ne quis aliam quamcumque certam personam nominet, cui regnum vel in vitâ, vel post mortem ipsius deberi dicatur, exceptâ* Elizabethæ *naturali prole. Ea enim sunt ipsa verba decreti. In eam enim homines vel adulationem, vel necessitatem ità perduxit hæresis, ut quod illud nobilissimum regnum illegitimæ illius Regis sui proli ægrè unquàm concessit, nunc naturali, id est, spuriæ soboli Reginæ, in cujus sexu fornicationis peccatum est fœdius, non denegarint: paritèr & Reipublicæ, è proximi*

ximi ſucceſsoris ignoratione extremum periculum, & Elizabethæ incontinentiam prodentes. Iſtis ſtatim adjunxit verba quædam ex libro *Thomæ Bozij de ſignis Eccleſiæ Dei*, quem etiam priùs in porticum cum reliquis invexerat. *Exemplo ſit* Elizabetha Angliæ *Regina, quæ nullum unquàm ſibi virum voluit adjungere, quò liberiùs ſcortari cum quolibet per ſummam licentiam poſſet, nonnulloſq́; è ſuis amaſios vario prætextu, ut patrata à ſe facinora tegeret, occidi juſsit.* Et deinceps etiam alia. *Quid illud? ter enixa paſſim prædicatur ex illicito coitu: ac propterea fuit in Comitijs* Angliæ *publicis decretum, ut illi defunctæ in Regno poſſent ſuccedere ex hujuſmodi concubinatu nati.* Hæc ſunt, inquit, quæ non ſolùm tempore propiùs accedunt, ſed etiam reipſâ principem veſtram acriùs premunt. Quam ergò veritatem in ſe habent, nos jam diù ſcire geſtivimus, tu non evades, donec oſtenderis. Lib. 12. cap. 3.

ELIZABETHAE igitur (inquit *Politicus*) nativitatem ſatis, opinor, ex his, apud æquos rerum æſtimatores, contra petulantiſsimas iſtorum calumnias eſſe propugnatam. Venio nunc (quoniam ſic vultis) ad mores ipſius vitæque inſtituta, quæ eò acerbiùs ab iſtis exagitantur, quià ortus, ſi quid vitij vel labis habeat, aliorum id planè crimen, non noſtrum exiſtimatur: in vitâ quicquid delinquitur, id omne ſine dubio eſt noſtrum. Itaque qui ſanctiſsimæ virginis deformandæ

 cauſâ

causa, patrem illius incestuosum, matrem adulteram fuisse vociferantur, ij si filiæ quoq; impudicitiæ crimen intentaverint, quis admiretur? At hîc illud primò absurdum est, eos castitatem in alijs tantoperè desiderare, qui non modò nullum flagitium à corpore suo ipsi repudiant, sed aliorum etiam libidinem tanquàm satis naturæ vitio incitatam publicâ authoritate doctrinâque sua armant & incendunt. Hi sunt enim qui passim non in Hispaniâ solùm, & alijs Italiæ civitatibus, sed & Romæ lustra constituunt, & prostibula tanquàm nequitiæ scholam aperiunt, quò omnes omnium libidines non modò impunè confluant, sed ultrò etiam invitentur: Hi sunt, à quibus jam illa fluxerunt dogmata, *si non castè, tamen cautè*, atque ejus generis præthereà multa. Et dubitari potest, cujusmodi sacra in angulis, intempesta nocte, privatim ac soli celebrant, cùm hujusmodi præcepta palàm in vulgus, in lucem atq; oculos omnium emittant. Deinde illud etiam hac in re est indignissimum, quòd ea homunciones in principem, è terra ac cœno nati in unctam Domini convitia ingerant, quæ vel in infimos ab illustribus viris falsò conjecta, omnis benè instituta Respublica legibus severè vindicat.

Sed quoniam ità volunt, geratur eis mos, audiamusque, si Dijs placet, & *Clodios* hos contra adulterium, quod est ridiculum, & *Thersites* contra *Agamemnonem* debacchantes, quod est iniquissimum: nec quàm indignè, sed quàm verè dicant, videamus. Nostram enim innocentiam alios in criminis similitudinem vocando, minimè defendimus, sed culpam potiùs excusamus. Hoc nos non judicamus

esse

esse satis, neque quidem istorum aculeos evadere cupimus, nisi quæ objiciunt, à veritate quàm à modestiâ longiùs abesse doceamus. Pudicitiam parùm castè ELIZABETHAE asservatam criminantur. Vtrùm igitur florente adhuc ætate, nec dùm confirmatâ, an hâc jam corroboratâ & planè maturâ? Habet illa quidem superior vitæ pars probabiliores ad suspicandum causas, vel quià amplissimi regni nova accessio, tumescentibus plerumque hominum animis, laxiores in ipso statim honoris initio licentiæ remittit habenas, vel quià ipsa natura liberiùs profundit adolescentiæ cupiditates. Atqui in hoc tàm lubrico ætatis tempore, in quo difficillimum est sine prolapsione consistere, sic se gessit ELIZABETHA, ut non modò à crimine, sed ab omni etiam criminis suspicione libera esset & soluta. Nondùm enim exciderat ei *Marianæ* tempestatis memoria: securis, quæ tàm diù ante oculos obversabatur, vix dudùm à cervicibus depulsa, & quibus ex periculis, & in quod honoris fastigium emerserat, perpetuò admonebat, nec sanctissimam virginem passa est committere, cùm *Deum* piè colendo salutem & regnum à misericordiâ ejus accepisset, ut eundem lascivè provocando, ad superioris fortunæ scopulos, vel majores etiam, severo ejus judicio allideretur. Immò quidem summa impietas esset, *Deum Opt. Max.* tàm inconstantem aut fastidiosum suorum defensorem existimare, ut quos à tot tantisque periculis tàm mirificè liberavit, eos statim fœdis ac impuris voluptatum lenociniis corrumpendos atque depravandos tradere velit.

Sed accesſit ad hanc mentem cùm nativo pudore, tùm divino timore munitam ſumma etiam rerum maximarum & perpetua occupatio, quæ, cæteris deſtituta adjumentis, luxuriantes naturæ impetus & libidinis flammas liberiùs efferveſcentes ſola per ſe ipſa reſtinguere ſemper ſolet & retardare. Cujus enim aſsiduitatis, quanti laboris exiſtimamus recentis adhuc regni partes omnes, omnes articulos luſtrare primùm animo, ac cogitatione percurrere; deindè ſingulis quid è re eſſet, providere; univerſas juris æquabilitate temperare leges; ſi quæ eſſent minùs ſalutares, refigere; novas ſurrogare; utilitatem ſubditis, amicitias cùm cæteris confirmare; ità in pace vivere, ut belli curam nunquàm depoſuiſſe; ità bellum gerere, ut pacem maluiſſe facilè appareat: atque hæc omnia ità, ut cùm divina hæc virtus & induſtria tàm latè, fuſéque ad omnes ſe porrigeret, tamen ſingulorum etiam plurimorum temporibus & cauſis non deeſſet? Quid illud? Pontificem omnium ferè animis infixum ejicere, lucem Evangelij, verumquè (quem nos credimus) *Dei* cultum invehere ac renovare, portum præbere, in quem jactata apud exteros religio tutò ſe reciperet, & piè celebraretur, utrùm oſcitantis inertiæ, an ſummæ diligentiæ, laſcivientis ingenij, an admirandæ pietatis videatur?

An illa ſi deſidiæ & languori, & his qui ex eo orti altíque ſunt, amoribus ſe dedidiſſet, ad illam infinitam rerum divinarum, humanarum, publicarum, privatarum, domeſticarum, exterarum curam atque uſum etiam hanc tam multiplicem politiorum artium ſcientiam potuiſſet adjungere? & quas ſingulas

las in Academiæ umbrâ, summo otio, flagranti studio homines ingeniosissimi vix assequuntur, eas propè omnes in æstu aulico, vitâ occupatissimâ, maximis negotijs complexa esset? Illud verò quis non admiretur, cùm in tot tantarumque rerum cogitationes perpetuò distraheretur, cùm & procerum salutationibus, & supplicum querelis, & exterorum principum oratoribus assiduè vacaret; cùm fœmina pro viris, una pro omnibus invigilaret; cùm eodem tempore Ecclesiam verâ religione; Rempublicam optimis legibus, seipsam omni disciplinarum genere instrueret, quomodò tantum surripere temporis potuit, ut tot linguis ediscendis sufficeret? quo in genere tantum studio atque industriâ consecuta est laboriosissima princeps, ut vix ferè perfectiùs quisquam unam eamq; vernaculam, quàm illa multas ac peregrinas noverit? Quis igitur locus libidini? aut ubi incontinentiæ suspicio potest adhærescere? Quod si vitam tàm exercitam & districtam laboribus, voluptatum tamen illecebris deliniri atque irretitam teneri probabile esset, quid de illo omni sacrificulorum opimo atque saginato grege censendum est, qui segni & languido marcescentes ocio ità vivunt, ut solùm edant, ità spiritum hunc ducunt, ut animam tantùm pro sale habere videantur.

Quid si ELIZABETHA aliarum delicta, si quas fortè non satis illibatam castitatem habuisse cognoverit, gravitèr vindicaverit? Quid si quæ misericors sæpè in proditores, semper severa ac insensa fuit impudicis? parumnè id apertè loquitur, nihil illi unquàm sanctius aut antiquius castimoniâ, nihil stupris aut adulterijs fuisse turpius? Infrà hos jam triginta

quinque annos, quos fœliciſsimè regnavit, vidit curia *Anglicana* non ſanè multas, ſed vidit tamen aliquas ex illâ virginali honoratarum puellarum turbâ, quæ Regineæ Majeſtati perpetuò ancillantur, quas partim aſsidua ac importuna diſſolutiorum aulicorum blandimenta, partim matrimonij oſtentata ſpes, partim amplitudo petentium cum ſummâ & corporis dignitate, & præmij pollicitatione conjuncta pellexit in fraudem. Nùm igitur connivebat in his ELIZABETHA? nùm non ſuccenſuit? Illa verò non ſuccenſuit ſolùm, ſed & caſtigavit, nec verbis tantùm aſperrimis, ſed etiam pœnis afflixit. Omnes à curiâ ablegatæ, carceribus incluſæ, infamiâ notatæ, idque non ſciente ſolùm, ſed jubente etiam ELIZABETHA, graviùs etiam ulturâ, niſi ad iracundiæ magnitudinem legum acceſsiſſet authoritas: facilèq; verecunda princeps in alienâ culpâ ſuam probavit innocentiam. Neque enim unquàm cujus peccati licentiam ſibi ipſa permitteret, ejus tàm acre ſupplicium in alias conſtituiſſet, in eas præſertim, quæ & propter muneris ſui opportunitatem, ſi quid ab ipſâ peccaretur, facilè intelligere poſſent, & propter pœnæ ſuæ iracundiam cupidiſsimè vellent effutire.

Et credo ſi tàm pervulgato corpore fuiſſet, quàm iſti nebulones eam videri volunt, ea infamia aut certorum hominum incluſa ſcientiâ, ad aliorum aures ac cognitionem minimè pervenit, aut ſi etiam in vulgus emanavit, omnes à matrimonio illius ambiendo deterruiſſet. Si non omnes, at ſaltem plurimos, ſi non plurimos, at certè excellentioris dignitatis altiorisque ingenij viros. Quis enim, non dico

princeps,

princeps, sed ingenuus eo se conjugio sciens implicaret, ex quo æternam, & nomini, & posteritati suæ labem aspergeret? Nullinè igitur eam in uxorem expetiverunt? Id verò nè *Sanderus* quidem ipse dissimulat, qui disertè eam nonnullis tacitam nuptiarum spem fecisse, plurimos posteà ludificasse affirmat. Neque sanè mihi necesse est quenquam nominare, cum illud satis apud omnes constet, planè nullam fuisse unquàm, quæ plures haberet procos, vix ullam quæ augustiores. Nec vident censorij isti *Catones* scilicet, dum lectissimæ fœminæ, quam perditam cupiunt, falsum impudicitiæ crimen affingere conantur, se eorum honori, quibus maximè favent, certissimam angusti pusillique animi notam inurere. Nisi id fortè dicant quod erat in dividendo secundum) morum ELIZABETHÆ, ac vivendi rationis expertes omnes fuisse atque inscios: quòd Regina potens, formosa, prudentissima esset, id omnes intellexisse; quòd lasciva, luxuriosa, impudica, nè fando quidem inaudisse. Primùm cui hoc probari potest, homines obscuros in claustra & tenebras abditos, qui vix unquam non dico curiam, sed solem viderint, peregrinos atque hospites in Repub. communis vitæ insolentes, quid in interiore parte ædium, quid in cubiculo, quid in lecto agat Regina, investigasse: viros nobiles, rerum aulicarum peritissimos, non solùm in principum negotiis versatos, sed ipsos etiam ad principatus fastigium evectos, nihil scire, nihil subodorare, nihil suspicari potuisse? Atque eò certè minùs, quòd eorum nonnulli assiduo convictu, & quòd ab ejus latere vix unquàm recesserunt, per se ipsi omnia persentiscere sine precariâ aliorum operâ

operâ possent: omnes autem erant ejusmodi, qui & gratiam in potentiâ, & vim in mercede, & voluntatem explorandi haberent in amore, cujus acutissimam aciem adeò nullum peccatum amasij est quod effugiat, vt etiam quod non sit, esse tamen suspiciosus plerumque somniet.

Deindè si istis autoribus credendum est, erat res ità & pervulgata, & aperta, ut nihil magis vereri Regina videretur, quàm nè turpitudinem suam atque flagitia quisquam ignoraret. Ter enim ex illicito coitu peperisse, ac, nè parùm testata res videretur, decretum etiam in publicis *Angliæ* comitijs scripsit (ut audiuistis) impurissimus ille canis, (vel cane quicquid est odiosius) *Thomas Bozius*, ut illi defunctæ in regno possent succedere ex hujusmodi concubinatu nati, nec erubuit os illud impudens unà cum perjuro parricidâ *Sandero* legem sanciendæ Regineæ salutis causâ necessariò latam, malitiosâ interpretatione ad ejusdem contumeliam iniquissimè detorquere. Cæterùm hæc quàm rectè dicantur, posteà disceptabitur: interim illud quidem apparet, si vera hæc essent, *heroas* illos ea nec ignorare potuisse, nec scientes nuptias ejus ambire voluisse: sin falsa, ità uti sunt, integritatem ELIZABETHAE ab istorum convitijs sartam tectam conservari.

Age verò tam effrænatæ voluntatis fuisset, nonnè tãtum abest, ut tot ac talium virorum connubia aspernaretur, ut aliquos etiam ipsa ad matrimonij societatem ultrò alliceret ac invitãret si non mutui amoris, at certè libidinis vel explendæ vel occultandæ gratia? Multa enim audactèr peccantur in matrimonio, quæ in cælibi vita muliebris verecundia, & liberorum ex concubinatu metus retardat: fitque sæpenumerò ut faciliùs adulteri-

ulterium committatur, dum turpi adulterij crimini honeſtum mariti nomen tanquàm integumentum quoddam obtenditur. At *noluit*, inquiunt, *ſibi virum adjungere, quò liberiùs ſcortari cum quolibet per ſummam licentiam poſſet*. Ex diſſoluta ſcilicet repentè facta fuiſſet verecunda, & unius hominis ſuſpicionem vultumque perhorruiſſet, quæ paulò antè omnium gentium judicia voceſque neglexit. Quaſi verò aut *Iuliam Tyberius*, aut *Meſſalinam Claudius* deterruit, quò minùs corporis ſui copiam quibuſlibet paſsim & licenter faceret? Quòd ſi obſervari ſe paulò diligentiùs, ſi voluntati ſuæ fræna inijci modumque ſtatui ſentiret, aut non potuiſſet, credo, Regina potens, aut noluiſſet adultera infeſta pariter & inviſa (quam etiam nec amaſijs ſuis peperciſſe *Bozius* refert) quâvis ratione viam ſibi ad priſtinam libertatem aperire.

Bozius vt ſupra.

At enim (inquiunt) quid verba audimus cum facta videamus? aut cujus ſtupra re atque oculis tenemus, de ejus innocentia cur levibus conjecturis crederemus? Ter enixa eſt. Maximum ſanè profuſæ libidinis argumentum, ſi modò verum: ſin falſum, petulantiſsimi conviciatoris non ferendum mendacium. Ter enixa eſt *Bozi*? Quî id ipſe ſcis? aut quî fidem cæteris facis? Nam ſi verbo ſolùm aſſeris, mihi quoque facile eſt verbo negare: nec ſanè video cur principem defendenti ſubdito, quàm inſontem accuſanti inimico minùs credendum ſit. Ac in privatorum cauſis, & quotidiano forenſium judiciorum uſu contrà alienam exiſtimationem nihil admittunt Iudices, niſi & perdita Rei vita, & teſtium religio, & ipſum crimen denique oſtendatur, atque oculis propè ſubijciatur: tu

cùm

cùm principis augustissimæ famam, non ad unius urbis, sed ad universi orbis tribunal traduxeris, cùm multiplicem ei partum objicias, nullo adhibito teste, nullâ morum levitate, nullâ facti probatâ suspicione, ipsum te solum, nec solum modò, sed & injuratum, nec injuratum modò, sed & inimicum audiendum putas? At ita, inquis, passim prædicatur. Scitum est hoc quidem, *mendacium quod ipse cuderis, falsò in vulgus conferre*: cujusmodi (*Deus* bone) authorem? eum nimirum, qui & facillimè fallit & fallitur. Nihil est n. tam leve, nihil tam inane, nihil tam imprudens, quàm vulgus: quod non judicio aut ratione, sed impetu plerumque animi ducitur ad suspicandum, & in quamcunque partem incubuerit, sivè rectè, sivè perperàm, quicquid temerè arripuerit, non minùs effert confidentèr. Itaq; sapientes ea, quæ sensisset populus, semper suspecta, plerumq; revocanda, sæpè etiam punienda duxerunt: & si quandò in veritatem fortè incidit, non tam quis, quàm quid diceret, considerandum existimaverunt. Verùm sit ità sane: sit populus æquus rerum æstimator, & incorruptus Iudex: hoc est fingamus in temeritate consilium, in errore prudentiam, in maximâ perturbatione summam integritatem. Qui sunt hi tandem, à quibus passim ista iactari dicis? Si exteri ac peregrini; aut finxisse hæc eos, aut à domesticorum fide ac sermone hausisse necesse est: Si domestici atque indigenæ; mirum est id quidem, adeò eos & Stentoreâ voce fuisse, ut eorum verba in *Italiam* atque *Hispaniam* emanent, paritèr & submissâ, ut nè in *Angliâ* quidem audirentur. Nulla. n. est istiusmodi criminis apud nos mentio, nulla opinio, nulla suscipio, quod certè evenire non potuit in Repub. omnium gnarâ &

nihil

nihil reticente. Quod si qui fortè fuerunt, qui aut religionis repurgatæ odio, aut degeneri in patriam animo apud imperitam plebem hæc clanculùm mussitare atq; in aurem insusurrare ausi sint, quis non intelligit, à quo fonte profluxerint? An verò cujus vitam ac caput à multis obsideri, ac nefariè peti videmus, ejus fama atq; existimatio, admiramur, si ab eorum assectis, & conductis operis perfidè oppugnetur?

Sed illuc redeo: *ter enixam* dicit *Bozius.* Cedo igitur ubi tam multiplex partus conceptus, ubi genitus? Nec enim res aut obscura esse potuit, aut in accusatione præteriri. Quis per solennes illos decem menses, ter etiam repetitos gravidam vidit? quis totiès parientis ejulatum audivit? Nam si oculis, atque auribus solertissimis fidissimisq; indicibus, arte tamen aliquâ semel imponi potuit: at secundò certè non potuisse probabile est: si iterùm effugit hominum sensus, nùm tertiò latuisse credemus? Non n. semper fælix est astutia, & fraus interdum ingeniosè obtecta & subducta è conspectu sæpiùs iterata effert se tandem profunditq;. Quod in hâc causâ eo etiam erat ad cognoscendum facilius, quia cæteris fæminis, si quid ejusmodi eveniat, aut secretis eis esse licet remotisq; à congressu multorum, aut si prodeant etiam seq; in turbam dent, tamen non sanè à multis observantur: principis & secessum à plurimis adiri ac frequentari propter variam tantarum rerum rationem necesse est, & vel levissimam in quocunque genere mutationem deprehendi propter defixam in eâ semper omnium oculorum aciem.

Illud etiam quæro, quæ obstetrices, quæ nutrices, quæ utrisq; merces constituta est? Nec enim ignobile

aut

aut ignotũ fuisse præmiũ oportet, quo & tanto arcano silentio, & ejusmodi alumnis tam regia cura atq; nutritio coëmeretur. Ipsi etiam liberi ubi tandem sunt? mortuinè an vivi? si mortui, ubi sepulti? quis funus prosequentium mœror? quæ exequiarũ pompa? si vivi, quæ nomina? ubi educati? quibus insigniti honorum titulis? quibus indicijs ac blandimentis prodidit se atq; extulit amor matris in prolem suam, is qui nec à feris occultari, quin erumpat interdum, potest? Nihil horum scitur, nihil dicitur, nihil ne suspicando quidem significatur: & tamen quenquam tantâ esse impudentiâ & nequitiâ, ut ejusmodi mendacium in sacrosanctam principis majestatem tàm confidentèr, tàm publicè conferre audeat?

At, inquit *Bozius*, propterea fuit in Comitijs *Angliæ* publicè decretum, ut illi defunctæ in regno possent succedere ex hujusmodi concubinatu nati. *At*, inquit Sanderus, *in eã homines vel adulationem vel necessitatem perduxit hæresis, ut regnum illud nobilissimum naturali, hoc est, spuriæ Reginæ soboli non denegârint*. Primò quis hoc unquàm credat, Reginam consultissimam spurijs suis regnum destinari voluisse: Sed qui ij tandem essent, aut ubi gentium, noluisse fari, cùm præsertim ex promulgatione hujus legis, sibi ipsi certissimum dedecus, ex ignoratione autem filiorum, error apud plebem, ex errore non minimum de regno periculum eisdem crearetur. Quid.n. esset facilius, quàm & nescienti, & credulo, & potentium clientelis obnoxio populo falsum hæredem subijcere, & imperitæ multitudinis ignorantiâ abuti, ut legitimo favere se putet, supposititium successorem ad regni solium eveheret? Deindè quàm non hæc inter se cohærent, quæ ab ipsis dicuntur,

De schism. Aug lib. 3.

cuntur, Reginam tam publico præconio plurimos in celeberrimo totius *Angliæ* concursu fornicationis suæ testes colligere: & ejusdem tamen tegendæ causâ, nonnullos ex amasiis suis occidi jussisse.

Verùm hæc quæ calumniæ suæ prætexunt Comitia, quandò habita, aut ubi memoriæ prodita sunt? extant, quæ hùc maximè spectare videntur, duo potissimùm *statuta* (sic enim trium ordinum sanctiones proprio appellantur apud nos nomine) alterum primo Reginæ nostræ anno, alterum decimo tertio latum. Cap.3. Nùm quæ in utrovis syllaba est, num quæ litera, quæ Cap.1. istorum convitio suffragetur? Planè nulla. Quod quò magis appareat, ipsa utriusq; statuti, quià verba vos non intelligitis, sententiam optimâ fide referemus. *Nos* (sic principem alloquitur universus conventus) *majestatis* Anno. 1. Eliz. *tuæ amantissimi, fidelissimi, obsequentissimi subditi,* cap.3. *qui triū ordinum regni vestri Anglicani personam sustinemus, & divinâ & humanâ lege adducti, facere nō possumus (nisi officia nostra in sublimitatē vestram ac hæredes vestros a vobis legitimè oriundos planè excidere nobis pateremur) quin celsitudinem vestram humiliter obtestemur, ut authoritate hujus parliamenti decretū, ratum, ac declaratum sit, nos recognoscere, agnoscere ac confiteri eundem statum, jus, titulum ac successionem, ut præmittitur, sublimitati tuæ inesse, & ad eandem, nec non ad hæredes ex vobis oriundos pertinere plenè ac in solidum, & in quâlibet ejusdem parte, ad eundem modum ac formam, quo mentio, declaratio, confessio anteà facta est, eique nos humillimè ac fidelissimè subijcere nosmetipsos, hæredes, ac posteros nostros in perpetuum.* Quibus igitur tandem defert hoc decretum regni successionem?

Num

Num spurijs ELIZABETHAE? undè elicitur? quæ sententia, quæ clausula, quod verbum huic interpretationi vel probabilem conjecturam relinquit? Hæredum nomen sæpissimè inculcatur. Atqui eo nomine spurios apud nos nunquàm venire, certissimi juris est. Hæredes igitur ELIZABETHAE cùm designat decretum, excludit nothos. Sed ut quod juris subtilitate verum est, idem etiam quasi sensuum judicio esset comprobatum, adijcitur *legitimè oriundos*, quod rem omni dubitatione liberat. Sed non opus est, ut hujus statuti expositioni multùm inhæreamus, quippè quòd *Sanderus* aliud disertis verbis intelligat: *Bozius*, quicquid dixit, à *Sandero*, & ejusdem farinæ perfugis emendicaverit. *Propterea* (inquit *Bozius*) *fuit decretum in publicis Angliæ comitijs, &c.* Quid hoc est *propterea*? viz. *quia ter enixa est*. At ter enixa esse non potuit ELIZABETHA, tùm cùm prius istorum decretorum ferebatur. Regnum fœlicissimè auspicata est ELIZABETHA 17 Novembris, & Comitia hæc ipsa, in quibus hoc latum est, in 23 diem Ianuarij tum proximè sequentem indixit. Eadem post rejecta in 25 ejusdem mensis, conclusa ad extremum sunt & dissoluta 8 Maij. Adeò ut, à regno inito ad Comitia finita, non toti sex menses numerentur: quod quidem tempus uni puerperio nimis angustum esse cùm ipsa natura testetur, triplici partui formando perficiendoque satis justum fuisse, *Bozium* quidem, qui nihil non fingit, ficturum tamen non existimo. Nisi hoc fortè dicat ELIZABETHAM non dùm Reginam toties peperisse, id quod nec in summa maledicendi licentia quisquam unquàm objecit, nec per *Mariam*

Lib. 12. de signis Eccl. Dei.

& inſenſam, & omnes anſas ſupplicij arripientem ipſa impunè tuliſſet.

Nihil ergò adjuvatur *Bozius* à primâ hâc lege: nunquid à ſecundâ? Attendite quid dicat. *Decernatur authoritate prædictâ, quicunq; in poſterum, quoàd dicta Domina noſtra* Elizabetha *vixerit, per libellum opuſvè aliquod typis ſcriptovè mandatum directè & diſertè declaraverit, & affirmaverit, quocunq; tempore, antequàm idipſum decreto Parliamenti hujus regni ratum affirmatumq; ſit, quamvis certam ac definitam perſonam, quæcunq; tandem ea fuerit, eſſe aut jure eſſe debere hæredem ac ſucceſſorem Reginæ Majeſtati quæ nunc eſt (quam* Deus *diù incolumem velit) niſi eadem naturalis ſit ſuæ Majeſtatis ſoboles: quòd is illivè pro primâ vice annuâ carceris pœnâ ac dimidiâ bonorum parte mulctetur. Quòd ſi qui iterùm deliquerint, tùm illi, & eorum ſinguli, &c.* In hoc omni capite cùm illud ſolum laboratur, ut eorum coerceatur audacia, qui contra jus fasque quemlibet, pro arbitrio ſuo, regno deſtinarent, iſti legis ſententiam ante pedes poſitam ne attingunt quidem: unius vocabuli ambiguitatem ad apertiſsimi decreti ſenſum depravandum inflectunt. Itaq; cætera dum legunt, quaſi ne intelligerent quidèm, ità callidè ac diſsimulantèr prætereunt: ſimul ac naturalis ſobolis mentio facta eſt, avidiſsimè hoc arripiunt. Quid igitur ais *Bozi*? Spurij Reginæ ad ſceptri hæreditatem hîc vocantur? Quid ſi nè liberi? quid ſi planè nulli? Conſulite legem, ſive verba conſideres, multa omnes vetant, nihil cuiquam tribuunt: ſive ſenſum intuearis, facillimè reperies, non quid præſtituatur, ſed ne quis nominetur hæres, illic ſanciri. Verùm fac ſanciri: & quoniàm ita vis, quam

Anno 13. Eliz. cap. 10.

legem prohibere videmus, fingamus imperare: quam supplicium constituere planum est, demus amplissimum honorem mandare: nùm quæ spuriorum ratio illic habetur? Ità inquiunt. Nam *naturalis soboles* cùm nominatur, spuria significatur. Næ illis nimis multis non illustribus solùm, sed & honestissimo loco natis æternam adulterini ortus notam inurunt, si ad quos *naturalium* nomen pertinet, cum eis omnibus spuriorum etiam infamiam communicent. Quantò consultiùs Iurisperiti, qui ità liberos distribuunt, ut quosdam faciant *tantùm naturales*, quosdam *tantùm legitimos*, quosdam *& naturales & legitimos*. At *legitimi* distinctio non adjungitur. Quasi verò id aut novum sit, cùm non raro in jure naturalium appellatione, non naturales tantùm, sed etiam ex justis nuptijs concepti significentur: aut eam notam hùc affigi necesse fuerit, cùm nemo sit, nisi qui planè peregrinus atque hospes in legibus nostris sit, quin id, quod apertè desideratur facillimè supplere atque sufficere possit? Quis enim non videt clausulam hanc, quam tàm invidiosè premunt, totam esse ex superiore decreto desumptam atque depromptam, salvâ eâdem sententiâ, verbis tantùm paululùm immutatis ac inflexis? Nam quos illic & hæredes & ex ipsâ legitimè oriundos nominant legislatores, hîc prolem naturalem appellant.

De adopt. in principio. Par. 10. de hær. quæ ab intest. deterũ. in Institut. Par. 4. l 44. de ritu nupt. & gloss. ibid.

Quòd si sensum, quem tantoperè urgent, his verbis subesse velint, illud saltèm ostendant (quod semper quæri solet) *cui bono*. Diximus enim jam antè nihil hinc, ad spurios pervenire posse, cùm non certum aliquem successorem definiant, sed definientes ac publicè apud populum divulgantes lex reprimat

ac

ac refrænet. Ipsa verò ELIZABETHA nil nisi dedecus apud omnes, odium apud justos successores consequeretur. Ità ut si præ malitiâ intelligere possent isti quid dicunt, legis sanè nemini malæ, nostris temporibus accommodatissimæ sententiam tàm calumniosâ interpretatione nunquàm violassent.

Nunquàm satis mirari possum, quorsùm illa verba sivè *Sanderus* sivè *Rishtonus* in impurissimum libellum suum effuderit, quibus dicit ***ordines Regni nostri, naturali Reginæ nostræ soboli successionem imperij non denegasse.*** Certè enim neque *Sandero*, neque Papæ ipsi, illâ quam refert constitutione, eam denegârunt, nec cuiquam alij, quem priscæ regni leges non excludunt. Tantùm prohibent, ne quis quenquam ad eam sermone suo designet præter Reginæ liberos, eos nimirùm, ad quos in præcedenti constitutione jus imperij proximè post illam spectare declarassent: id est, non naturales solùm, sed & legitimos, nec quidèm jam eductos, sed in posterum fortè educendos. Nàm jam tùm illa ætate ELIZABETHA fuit (proh dolor, quod tùm fuit, nunc non est) ut nubendo spem sobolis habere posset.

Lib. 3. de schis. ang. P. 319.

Idem hîc ordines mihi videntur fecisse, ac si dixissent: Intelligimus hominum nostrorum cogitationes in varias partes distrahi, alijs hunc, alijs illum ad imperij fastigium exoptantibus, alijs etiam fortassis subverentibus, ne talis aliquis per ipsam principem in filium adoptatus ad regnum evehatur, quem ipsi minùs amant. Pertimescendum equidem est, nè subditorum mentes in re tanti momenti vacillantes atque discerptæ in factiones aliquandò coalescant, atquè ità non solùm principi nostræ serenissimæ præmaturus interitus,

ſed & ipſi Reipublicæ, cujus illa longè majorem quàm ſui ipſius curam ſemper geſsit, inteſtinum aliquod periculum hinc immineat. Huic malo non meliùs occurri poſſe judicamus, quàm declarando primùm, tùm ipſa *Elizabetha*, tùm proceres imperij quàm longè abſint ab omni ſucceſſoris cogitatione: deindè ſanciendo, ne quis ſucceſsionis jus privato ſermone in quē alium, quàm Reginæ ſobolē conferat. Alios autem omnes ad imperium nominari præter *Elizabethæ* liberos vetuerunt, non quòd liberos jam haberet (ut iſti impudentiſſimi calumniatores mentiuntur) ſed ſi quandoq; juſtè haberet, illos ſolos ad imperium noſtrum omnes expectarent, quos & ipſæ leges cæteris omnibus ſic prætulerunt, ut de ipſorum jure, niſi cum læſâ quodammodò majeſtate, nemo dubitare poſſet: & etiam ipſi juſtos *Elizabethæ* ſucceſſores in priori illâ conſtitutione pronunciaſſent. Hæc ſententia, viri ornatiſsimi, hic ſcopus hujus decreti fuit: tranquillitas ſcilicet Reipublicæ noſtræ, cui Pontificij omnes nimis invident, & ſalus principis, quàm nefandiſsimis inſidijs indies aggrediuntur. In alium intellectum quòd iſti malitioſè illud detorſerint, hoc quidèm non noſtrorum ordinum, ſed ipſorum conviciatorum labes eſt.

Quid eſt? nùm expectatis, dùm hanc tàm apertam, tàm aridam, tàm jejunam calumniam ulteriùs adhùc perſequamur? Immò quidèm jam non ſolùm animis intelligere veſtris, ſed oculis conſpicere videmini, quàm ab omni tùm veritate, tùm ſuſpicione ſit aliena. Non ſatis firmam impudicitiæ notam virgini pulchritudine corporisque conſtitutione præcellenti poſſe imprimi judicârunt, niſi liberos aliquos illam eduxiſſe ſimularent. Viderunt enim quemlibet

inter-

interrogaturum, quomodò fieri posset, ut mulierem singulis corporis dotibus tàm insigniter excultam tàm assiduus concubitus nunquàm gravidam faceret: Atque igitur ad tam execrabilis mendacij majorem fidem tres illi liberos affinxerunt: sed, Deus bone, quàm frigidè, quàm stupidè, quàm insulsè? liberos illi esse dicunt, sed hoc nè levissimo omnium argumento probant. Si vel infima omnium muliercula in tanti momenti judicio apud vos sisteretur, nec luculentioribus indicijs percelleretur, nonnè impunè absolvendam duceretis? nonnè accusatores vaferrimæ calumniæ reos constitueretis? At ELIZABETHA *Regina* est, multisque non solùm mulierum, sed & virorum fortissimorum, sapientissimorum, potentissimorum millibus præstituta, quos summâ æquabilitate & clementia semper rexit, ipsa quidem unico dei tribunali subdita & obnoxia: Ejus igitur existimationem impudentissimorum perfugarum nuda mendacia apud viros probos atque prudentes comminuere nullo modo debent. Multi sunt in *Angliâ*, qui Pontificem adhuc complectuntur, multi etiam huc illuc grassantur sacrificuli: si nostra fides nulla sit, hi habeant in mandatis, ut veritatem istarum rerum exquirant. Illi tandem, si illud reperiant, quod isti criminantur, prodant, circumstantijs ostendant, testibus aut evidentiâ facti evincant: & tum non solum *Regina* nostra incontinentiæ hanc notam lubens subibit, sed & nos mendacissimæ vanitatis, & omnes *Angli* crassissimæ assentationis labem patientissimè feremus. Interim ut nos Italos iniquæ religionis condemnamus, omnem tamen vel *Dei* timorem, vel suæ existimationis curam abjecisse minimè credimus: ità vos nostram disciplinam, quoniam ità vul-

tis, reprehendite, sed Christianos existimate, vel si Christianos esse non patiamini, saltèm non omnem virtutem sic exuisse putate, quin si non ipsam, at ejus umbram aliquam atque speciem retineamus. Quòd si semel vobis persuasum fuerit, statim cogitabitis fieri non posse, ut populus tàm magnanimus meretriculæ, quæ omnibus se divulgat, imperio tàm conspiranti consensu tot annos contineretur. Hoc vobis (ut de charitate nihil loquar) communis tamen ratio persuaserit, licet ipsam ELIZABETHAM non cognoscatis. Sed ipsius virtutes si vobis perspectæ essent, illam herclè nobis invideretis, nec tàm nostro, quàm terrarum orbis imperio dignam judicaretis.

Hic silentium sibi imponenti *Politico* gratias singuli egerunt maximas: tantùm *Pontificius* aliquid in defensionem ejus axiomatis, *Si non castè, tamen cautè*, volebat subtexuisse: sed eum in ipso sermonis ingressu amputavit *Historiographus*, dixitq; opportunitatem rerum hujusmodi tàm perfectè cognoscendarum rariùs offerri, quàm ut nunc sine incommodo prætermitti posit.

Statim autem libellum alium in manus sibi assumpsit per quendam G. S. A. conscriptum, quem doctorem juris civilis apud Colonienses nonnulli asserunt, & ex ejus pagina 8. recitavit, verba quæ sequuntur. *Memoriæ itaquè proditum est, certoq; constat*, Inam *à Cerdicio* Angliæ *Regem* XI. *omnibus virtutibus ornatissimum, rebus undequaque optimè fælicissimèq; gestis, pietatis & religionis causâ Regnum suum Pontifici, Ecclesiæq; Romanæ in perpetuum vectigale fecisse, in singulas domos singulis numis argenteis (quos sancti* Petri *denarios vulgò vocant) imposi-*

Confutatio causarum, quibus Elizabeth. Angl. &c.

impositis, qui etiam quotannis â Pontificio quæstore isthic colligebantur.

Quem imitatus Ethelvolphus, *vir omni laude dignissimus, eam quoq; insulæ partem quam,* Egbertus *pater regno adjunxerat, perindè Pontifici, & Ecclesiæ Romanæ, cùm sub* Leone 4. *voti gratiâ Romam esset profectus, vectigalem fecit, legeq; sancivit, ut qui ex suis possessionibus triginta denariorum vectigal in singulos annos caperent, aut plures domos haberent, pro ijs quas habitarent singuli singulos denarios quotannis Romano Pontifici ad diem, qui Apostolis* Petro, Pauloq; , *vel ad summum vinculis* Petri *sacer est, solverent.*

Aluredus *autem à* Cerdicio XXI.*postquàm,* Ethelredo *fratre ex vulnere defuncto, Regnum obtinuisset, id ampliùs huic pietati atq; reverentiæ in Pontificem ecclesiamq; Rom. adjecit, quòd ilicò Romam sit profectus ad regium diadema ab* Adriano II. *Romano Pontifice impetrandum, non justè se regnaturum ratus, nisi ab illo Rex confirmatus fuisset.*

Henricus *deindè* II. *ut D.* Thomæ *Cantuariensis Antistitis, viri sanctissimi, cædem expiaret, & se, & filium* Henricum, *successoresq; omnes beneficiarios (vulgò feudatorios) Pontificis & Ecclesiæ Romanæ de Regno* Angliæ *&* Hyberniæ, *(quam paulò antè ab* Adriano IIII. *Pontifice primùm in beneficium, sivè feudum, sub dominij titulo, acceperat) in perpetuum fore jurejurando obstrinxit.*

Iohannes *similitèr, cùm* Angliam Hyberniamq; *invasisset,* Arthurumque Gaufredi *fratris sui filium, legitimumq; in Regnis successorem, quem* Richardus *Rex patruus testamento sibi hæredem scripse-*

rat (præter innumera insuper nefanda perpetrata facinora) interfecisset, eorum omnium & præcipuè tanti parricidij luendi causâ, pœnitentia ductus, regnis se abdicavit, Pontificiq́ Rom. Innocentio III. *ad Pontificij Legati* Pandulphi *pedes regijs omnibus depositis insignibus, reddidit, nunquàm eadem ipse, aut hæredes & successores nisi à Pontifice Romano accepturi. Atq́ ità privatus cùm vitam egisset dies quinq́, sexto die, uti ingens munus, & omninò desperatum beneficium, à Legato accipit diadema, procerumq́ totius regni consensu, Pontificis & Ecclesiæ Rom. se beneficiarium esse, omnesq́ successores suos in perpetuum fore juravit. Et in hujus rei testimonium, proq́ omnibus servitijs officijsq́ quæ beneficij causâ, rebus postulantibus, præstanda forent,* Angliam *atq́* Hyberniam *novo quoq́, atque perpetuo tributo mille marcarum sterlingarum oneravit, quæ Rom. Pontificibus singulis annis, ad festum* D. Michaelis *Archangeli, solverentur: præter denarios sancti* Petri, *quos* Inas & Etelvolphus, *uti dictum est, in singulas domos imposuerant. Quæ omnia cùm præsente Cancellario* Archiantistiti *Cantuariensi, quatuor Antistitibus, sex Comitibus, multisq́ alijs regni optimatibus acta essent, jurejurando se insuper Proceres ordinesq́ Regni Legato obligârunt, se, quâ parte fide decederet, quâcunque ratione coacturos ut promissa præstaret. Eâ quoquè de re instrumentum conscriptum est, ejusquè exemplum authenticum* Ioannes Bodinus *Romæ in vaticano se vidisse affirmat.*

His sic lectis in *Iurisconsultum* oculos convertens, hæ tuæ vices sunt, inquit. Vides nos singulos pensum suum absolvisse: tu qui debita solvenda doces, non dubito,

dubito, quin hoc onere sic labores, ut ab eodem liberari cupias.

QVONIAM nullam video subterfugij spem (inquit *Iurisconsultus*) aliquid audẽdum est. Ad hanc autem provinciam suscipiendã me preces vestræ multùm movent, sed exempla quidem incitant & impellunt. Nemo vestrum est, qui vices suas non obivit: quamobrem ego licet facultate impar, si tamen voluntate similis non essem, tetram sanè rusticitatis ergà vos, & erga dulcissimam patriam meam impietatis labem evadere nullo modo possem. Iurisconsultus.

Hic opinionis error, quo nostram Angliam Romano Pontifici vestigalem esse plurimi existimant, non admodùm vetustus est, nec tam altis defixus radicibus, quin eum funditùs è mentibus vestris extirpari & exscindi posse confidam. *Polydorus Virgilius*, qui ante annos tantùm sexaginta suam historiam in lucem emisit, primus omnium hanc pecuniam Pontifici quotannis pendi solitã *vectigal* appellabat; verùm ipsius verba si leviter examinemus, ille ipse vectigal quod dicit, reverà non facit. *Officia autem ejus Regis* (inquit de *Inâ* loquens) *pietatis plena infinita traduntur: & illud inprimis, quod regnum suum Romano Pontifici vectigale fecerit, singulis argenteis numis, quos denarios vocant, in singulas domos impositis. Fecit idem ejus exemplo, ut opinor, ductus* Offa Merciorum *Rex, qui non multò post id temporis regnavit. Fuit is annus salutis 740. Hoc vectigal, prout quidam scribunt, auxit posthac* Ethelvolphus, *seu* Athulphus *Rex, qui ut proximo libro demonstrabitur, totius ferè Insulæ imperium obtinuit. Omnis Anglia hoc tempore istuc vectigal pietatis & religionis causâ Romano Pontifici pendit domesticatim* Polyd. Vir. lib. 4 Ang. histo.

sticatìm collatum, & numi illi argentei vocantur vulgò denarij Divi Petri, *quem Pontificius Quæstor, quem non inscientèr collectorem nuncupant, exigit.* Cum ille hanc Anglorum liberalitatem pietati & religioni ascribat, ab officij necessitate minimè profectam esse confitetur. Ità ut cùm hunc censum vestigal appellet, vel incuriâ verbi, vel studio latinitatis, vel saltem nimiâ in Pontificem propensitate suâ videatur esse lapsus.

Hujus autem rei non minimū argumentum est, quòd eum, qui hujus pecuniæ procurandæ causâ in Angliam mittitur, Quæstorem vocet potiùs quàm collectorem. Nam Quæstores Provinciales, apud veteres Romanos, quibus *Polydorus* Pontificis emissarios hìc comparare studet, cum magistratu fuisse quilibet antiquitatis non expers facilè intelligit. Vocationem, prehensionem, togamque prætextam habebant. Hi Pontificum cursores, licet honorum quàm pecuniarum nihilo negligentiores, coercitionem aliquam, vel jurisdictionem nunquàm exercuerunt. Cùm igitur vectigal illud sit, quod fisco vel Reipub. imperij nomine præstatur: hi verò denarij, nisi *Inam* etiam regnum suum *Pontificis* imperio subjecisset, vectigal nullo modo nuncupari possunt. Tale autèm aliquid illum fecisse, nemo omnium testatum reliquit, neque verisimile est. Nam *Ethelvolphum*, qui aliquot annos eum in regnum Saxonum Occidentalium jam totius ferè Insulæ ditione auctum administravit, Regem omnium historicorum consensu & fide præstantissimum, nec pietatis magis, quàm rerum optimè gestarum laude celebrem & illustrem, partim *quòd exteram potius, quàm indigenam uxorem*

Hot. in com. in Verrinam quartam.

rem

rem duxisset, partìm quòd filium Iuniorem Alfredum, *quasi alijs sorte regni exclusis, in Regem Romæ fecisset coronari, proceres sui domum rediturum non sine summâ difficultate in solium admiserunt. Saxonicorum* principum munificentiæ tùm suam, tùm *Romanam* ecclesiam, multum debuisse facilè concedimus, sed Romanam, ideò quòd in illorum partes contrà *Britannos* nimis propensè inclinaret. Nam & ipse *Augustinus*, quem *Anglorum* apostolum antiquitas celebravit, cùm à *Gregorio* magno ad excitandas fidei scintillulas, quæ propè jam sopitæ in illa insula jacuerant, illuc mitteretur, *Britannos* in angulum sui territorij redactos & compulsos adivit, *petijtque ab episcopis Britonibus subiectionem, & suadebat, ut secum genti Anglorum communem evangelizandi laborem susciperent*. Illos, cùm *Augustino* subjectionem denegarent, quià suum Archipræsulem habebant, refugerentque eis evangelium prædicare, quibuscum de aris & focis quotidiè dimicabant, *Hedelbertus* Rex *Cantiorum*, ascitis ad hoc scelus reliquis *Saxonum* regulis, infestissimis armis adoriebatur, imparique militum numero pugnantes in fugam convertit, & innumeros tùm Monachos, tùm Eremitas ad *Deum* pro salute suorum orandum congregatos crudelissimè trucidari fecit. Vt igitur nihil miremur *Saxonum* Reges summâ liberalitate ergà Pontificem Romanum fuisse usos: eos tamen regni sui jus quodcunque habuerunt, integrum & illibatum conservasse minimè dubitamus. Quod certè fieri non potuisset, si denariolos istos nomine vestigalis numerassent.

Mat. West. p. 308.

Galf Mon. cap. 12.

Quamobrem hanc largitatem, quam *Polydorus* eorum

rum pietati religioniq; tribuit, vel puram eleemozinam, vel eam, quam sub modo vocamus, donationem fuisse contendo : & certè fides nonnullorum historicorum me movet, ut modalem potiùs, si sic per vos loqui liceat, quàm puram donationem esse putem. Nam *Inas* religionis causâ *Romam* petens, ex consensu & voluntate *Gregorij* secundi, qui tùm illic sedebat, domum quandam in illâ civitate extruxit, Anglis, qui illuc disciplinæ causâ confluxere, receptaculum. Scholæ enim *Anglis* a temporibus *Augustini* jam interdictæ fuerant, propter assiduas hæreses, quæ ex ijs quotidiè pullulabant: atque igitur homines nostræ nationis ad fidem Catholicam imbibendam, syncereq; perdiscendam, *Romam* frequentes proficiscebantur, & illius dogmate stabiliti domum ad reliquum populum instituendum revertebant. Hic mos ut in omnem futurorum temporum perpetuitatem propagaretur, *Inas* singulos denarios ad eorum sustentationem, qui *Romam* scientiæ causâ concesserunt, è singulis regni sui domibus quotannis conferendos esse sanxit.

Math. Westmon. p. 265.

Hoc autem ipsa *census* appellatio non obscurè indicat: *Saxones* eam R*ome-scot* dixerunt, id est, si interpretemur, *Romæ* collectam. Collecta verò pecuniam illam significat, quam in diversorijs vel tabernis esculentorum poculentorumque causâ solvimus, non illam quam principes nomine imperij vendicant. Hospites igitur nostri fuerunt *Romani* Pontifices, dùm his nummis *Anglos* ad se proficiscentes ex pacto alerent, non Reges. Nunc quòd neque illo cælesti pane, nec vino de vera vinea nos alant, quibus solent, ijs ut ingratis, vel ut hostibus derelictis, alios hospites quærendos censemus, vel domi potiùs nobis ipsis providendum ducimus,

mus, quàm lutulentas eorum sordes tàm longo itinere, tàmquè immensis sumptibus adhuc comparandos.

Iampridem summâ *Dei* bonitate, sanctissimâque multorum *Anglorum* beneficentiâ effectum fuit, ut duæ apud nos exædificarentur florentissimæ Academiæ, *Cantabrigiensis* nimirùm, & *Oxoniensis*, splendidissima *Musarum* domicilia, tantâq; undiq; doctrinarum exornata varietate, quanta vel ipsam *Romam* si non superare, tamen æquare facilè possit. Ex istis fontibus purissimis rivi jam copiosissimi profluunt, qui nostram terram universam saluberrimis scientiarum omnium, sed theologiæ præsertim aquis abundantèr irrigant atq; recreant. Quapropter istæ naturales scaturigines cùm illam veterem Insulæ nostræ siccitatem suavissimè temperent atq; molliant: non opus est, ut tantis vel laboribus vel sumptibus transmarinas illas clepsidras redimamus. Siquidem *Romani* suas aquas, quas huc mittere solent integras & synceras, nescio quo toxico nuper misceant, ut illùc invectæ, plantas, quibus applicantur, omnium florentissimas radicitùs exurant & corrumpant. *Romana* Ecclesia olim obedientiam summam ergà principes vel ethnicos suis imperare solet, & omnibus Christianis sanguinem in fidei causâ potiùs effundendum docere, quàm terrestris Reipub. statum vel levissimè perturbandum. Nunc verò summam non ecclesiarum tantùm, sed & regnorum moderatricem se profitetur, ita ut Reges omnes Christianos per illam regnare, vel præcipites è solio deturbari jubeat. Hoc Principes nostri jamdudum subolebant, sed tamen excommunicationis Pontificiæ fulmine, quod præ cæteris semper extimuerunt, perterriti,

jugum

jugum hoc servitutis, quod sentiebant, molestissimum non ausi sunt excutere.

Tandèm *Henricus* octavus, cùm huic illorum tyrannidi nullum modum esse, nullos cancellos præscribi cerneret, cùm se ipsum in re summi momenti turpiùs eludi perspiceret, quàm ut tàm insignem contumeliam sine summo dedecore devorare posset: licet invitus, huic immensæ potentiæ se objecit, & non solùm illius potestatis nervos, quâ tantùm papæ solent abuti, præscidit, sed pecunias etiam, quibus illam servitutem majores nostri tanti emebant, intercepit, & partìm ad usum imperij communem transtulit, partìm subditis suis condonavit ac remisit. Quid enim denarij illi? Quamprimùm *Romam* adducerentur, in *Vaticanum* rectà pergebant, jejunos Anglos domum illam ruinosam juxtà basilicam B. Virginis incolentes, nunquàm vel à limine salutârunt. Vndè tandèm eò res devenit, ut uel nulli illìc reperirentur, vel multò pauciores, quàm qui millesimam partem tot numorum, quot anni singuli *Romam* attulerant, consumere possent. Tollebatur ergò causa primæ dispositionis, atque igitur ipsa etiam dispositio cessare debuit. Quòd si quis obijcit ejusmodi numos in perpetuum Pontificibus fuisse datos, ut *Anglos* illuc doctrinarum causâ confluentes alerent atque sustentarent, nec interesse, sint aliqui vel nulli, dummodò qui sunt, alimentis non destituantur: respondemus primùm hoc, quod illi assumunt, esse controversum, & donec illi ostendant, quod asserunt, meliorem esse causam possessoris.

l.6.par.2.ff de jur.patron.

Bartol.in.l. Quamvis.par. si conductor. ff.de acq. vel omit.poss.

Deinceps ut elargiamur illis, sic inter Pontificem & Anglum in initio convenisse: cùm tamen illi in modo

defece-

defecerint, ità ut Angli apud eos, licèt paucissimi, miserrimâ tamen penuriâ sæpissimè conflictarentur, nec è tot denariorum millibus vnum aliquem haberent, quo se reficerent: *Henricus* donationem illam non solùm meritò revocavit: sed etiam (nisi quod Pontifex majores spiritus gerat, quàm ut apud Iudicis cujusquam tribunal sisti velit) omnes illas summas, quæ in usus à donatore destinatos minimè conferebantur, optimo jure condixisset. Nemo dicat me Pontifici injuriam aliquam hìc intulisse: nam si probationem res exposceret, hoc infinitis testibus confirmarem. Sed habemus confitentem eum ipsum reum, qui reus esse dedignatur. Tãtum enim hic a ratione abest, ut hujusmodi conventionem huic donationi unquàm interpositam fuisse, neget ac detestetur.

l.1.& 3.C. de dona. quæ sub mo.

Nè igitur stomachum tam sancto patri commoveamus, dummodò ipse spem omnem cogitationemq; vectigalis in posterum abijciat, quod vendicare nullo modo potest, nisi etiam Regem nostrorum Regum quodam modo se pronunciet: sermonis causâ largiemur illam tùm *Inæ*, tùm reliquorum, quos ejus exemplum secutos esse *Polydorus* affirmat, donationem puram fuisse, nullâque vel conditione vel modo temperatam. Et tamen quià tanto fastu Pontifices nuper inflati sunt, ut eam non Anglorum beneficentiæ jam acceptam retulerint, sed dominij jure nescio quo vendicaverint: quìdni nimis immemores, quìdni ingratos, quìdni tantâ largitate indignissimos judicemus? Cùm igitur Pontifices rationem hujus donationis nullam allegare velint præter voluntatem ejus qui dedit: certè negare non possunt, quin donatariorum ingratitudo, qui tam munificam liberalitatem non agnoscunt, iustam

L.1.l.pru.l.final C.de revo. dona.

Ser.2.de cont. Mundi.

justam donationis revocandæ causam donatori præbeat. Ità ut meritò Divus *Bernardus ingratitudinem, ventum urentem, siccantem fontes pietatis, & fluenta gratiæ* nuncupet: Siquidem non solùm animum benefaciendi multis tollat, sed ipsum etiàm qui dedit aliquid, id ipsum quod dedit, repetere faciat.

Sed objecerit aliquis nec in *Inam Gregorium*, nec in *Ethelvolphum Sergium* quicquam unquam cõmisisse, undè illos tam splendidæ suæ benignitatis pæniteret: atque igitur nihil dicere nos, qui successorum suorum injurias urgemus. Iam enim res integra non est, & beneficium, quod priùs à meritis donatariorum tacitè dependebat, illis jam mortuis necessitatis est, non voluntatis. Certè huic argumento manus traderemus, si beneficium hoc actus fuisset, ejus solâ causâ præstitus, & commodum præcipuè spectans, in quem primò confertur: sed cum successivus fuerit, (ut nostri loquuntur) & in omnes posteros etiam uberiori quotidiè copiâ fluat ac dimanet, non negandum est, delicta successorum æquè justas revocationis dare causas, atque primi donatarij. Nàm aliàs adversarios nostros interrogaremus, quo jure *Clemens* quintus milites illos tot tamque opimis suis possessionibus ejecit, quos, quòd ædes templum *Hierosolymitanum* spectantes incolerent, *Templarios* vetustas appellavit? principes eorum, cum non longè a sepulchro habitarent, Christianos peregrinos pietatis atque religionis causâ illuc appellentes hospitio excipiebant, eosque non solùm per sacra loca ejus civitatis, sed etiam totam aliquandò terram sanctam armati conducebant & comitabantur, nè forsan in truculentissimorum *Agarenorum* manus inciderent. Vndè tandèm evenit, ut hic ordo celeberrimus haberetur, &

Chassan. parte no. consid. 5.

quem

quem primò è novem tantùm hominibus *Gelasius* Papa circa annum salutis 1117. instituerat, spatio ducentorum annorum in tantam excrevit multitudinem, quanta non solùm in singulas Christianismi terras diffundebatur, sed amplissimas etiam ubiq; facultates assecuta fuit. Tamen quòd eorum aliqui tandem suæ originis obliti ad *Saracenos* defecissent, neq; virtutes majorum suorum, nec innocentia nonnullorum *Clementem* movere potuerunt, quò minùs totum ordinem exscinderet, & ejus possessiones partìm ad milites *Rhodianos*, partìm ad novas religiones transferret. Huic non dissimile *Tyberij* facinus in *Isidis* sacrificulos *Iosephus* meminit & laudat: sed tàm insignis historia viros tàm doctos minimè latet: ego pergo. Lib.18.Iuda. antiq cap.4.

Fortè adhùc persistunt adversarij, negantq; donata ecclesiæ propter ecclesiasticorum ingratitudinem posse tolli. Nam quæ dantur ecclesiæ, *Deo* ipsi consecrari intelliguntur, nec ob hominis commissum aliquod revocari possunt. Hi rectè quidem dicerent, si de ijs rebus loquerentur, quæ divini cultus necessitatem attingunt. Sed ecclesiæ Pontificiæ facultates mirum in modum augentur, nec cum opulentissimis summorum Imperatorum thesauris conferendæ sunt. Illa pristina integritas in luxum, petulantiam & libidinem degeneravit: ita ut diadema, quod aureum etiam à *Constantino* datum S. *Sylvester* repudiasse fertur, jam gemmis undiq; distinctum, triplicíq; exurgens gradu tàm inflato fastui vix par esse videatur. Evanuerunt tempora, quæ pastorum tàm anxiam in animabus *Christo* lucrifaciendis solicitudinem viderant: hodierna charitas divitiarum cumulis in homines ecclesiasticos congerendis absolvitur atque definitur. Non

ego sum is, qui venustum Ecclesiæ splendorem invidet, quivè sacerdotibus ex arâ victum denegat, sed is potiùs, qui animarum nostrarum curatores in illâ rerum affluentiâ degere cupit, ut non solùm habeant, quod ipsis satis esse posit, sed etiam quod in egenos atque nudos munificè largiantur. Immò quidèm ab imis præcordijs illos tanquàm Satanæ mancipatos, nec religioni solùm, sed & omnibus rebuspublicis rectè institutis internecionem machinantes, qui cùm diversis in locis ecclesiarum peculium miserè distraxerint, avidissimèque corroserint: adhuc fauces suas non claudunt, sed ipsis earum cadaveribus, quæ ferè sola restant, sitientèr inhiant, insidiasque quotidiè struunt. Verùm qui in prædijs, pecunijs, omnibusq; omnium generum facultatibus Ecclesiæ conquirendis religionem suam solummodò constituunt, eos quidem amore regni terrestris tantùm distineri judico, ac si superni illius omnem curam jam abjecissent, & æternæ vitæ spem mundanis delicijs vendidissent.

Neque longi temporis præscriptione Pontifex quicquam adjuvatur, quià causa tàm diuturnæ solutionis apparet. Vectigal enim esse non posse suprà ostendimus, ad *Anglorum Romæ* studentium factam ipsi non concedunt. Aut aliam igitur ostendant, aut nos ex nostrorum Regum munificentiâ profectam, sicq; ejus continuationem nullam in posterum solvendi necessitatem imponere concludemus. Nàm nisi causa liqueat, idq; in specie, præsumitur liberalitas, quo casu præscriptionem nunquàm currere tàm *Iurisconsulti*, quàm *Canonistæ* tenent. Cùm ergò *Polydorus* ipse *pietatem atq; religionem* in causâ ponat, quid aliud quàm puram eleemosynam intelligit, & beneficam sine

Balb. parte 3. prin quæst. 10. de præscript.

Vbi supra.

ſine omni ſynallagmate propenſitatem? A ſanctis quærerem Pontificibus, ut bonâ fide mihi reſpondeant, utrùm Metropolitanum *Athenienſem* vectigal, aut etiam cenſum quemcunque triennalem contra *Moſcovitas* atque *Ruſſos* præſcribere è poſſe putent, quòd ille ſingulis triennijs terras illas peragret, & incolarum liberalitatem afflictis *Græcæ* Eccleſiæ Chriſtianis imploret? Certè non dubito negaturos. Nàm & æquè Beatus *Paulus Corynthios* ad hoc onus neceſsitate juris impuliſſet, quòd ejus rogatu ſemel tantùm pauperibus *Hieroſolymitanis* ſubveniſſent. At nec majori ratione denarios iſtos ab *Anglis* ipſi exigant, quòd illa quondàm fuerit principum noſtrorum ergà illos benevolentia, quæ nunc non eſt. Nàm quòd certam & deſtinatam pecuniarum ſummam quotannis reportarent, quam *Orientales* variam & incertam colligunt: in hoc quidem habuerunt, quòd tantò majores gratias agerent, non nummos firmiori jure vendicarent.

Plures poſſem adducere rationes quæ hanc eorum querelam moroſam, futilem & inanem oſtenderent: ſed ipſi ſunt actores, & quod allegant, probare debent. Tantùm exclamant & vociferantur afferri ſibi injuriam omnium atrociſsimam, denegari tributum, ſed tantùm aſſerunt, non evincunt. Proferant teſtes, vel, ſi quæ in *Vaticano* deliteſcant, inſtrumenta: nos niſi juſtam exceptionem habuerimus, dabimus quod poſtulant. Interìm quod tàm bonâ fide poſsidemus, vel æquè bona ſua cùm venia permittant, vel nos muliebres iſtas ejulationes nihili facturos intelligant.

Nulla hîc eſt ſereniſsimæ ELIZABETHÆ

culpa. Numos istos *Henricus* propter summam sibi à Pontificibus inustam contumeliam subtraxit, *Edovardus* sextus detinuit, *Maria* quòd incognitâ causâ restituerit, patris sui nimis fuit immemor, cujus honorem atq; decus, non nostro tantùm, sed & totius terrarum orbis imperio prætulisse debuit. Nostra Regina si tanto favore eos indignos putet, cujus parentes tot calumnijs affecerunt, cujus natales tantâ malitiâ semper insectati sunt, cujus etiam imperij jus tàm infinitis odiosisq; mendacijs consperserunt: sibi ipsis hoc, quantumcunq; est, detrimentum suum ascribant, ejus innocentiam, majorem certè, quàm ut cui eorum maledicta possunt adhærescere, vel agnoscant, vel pro communi illâ modestiâ, quam omnes non perfrictæ frontis profitentur, æquioribus arbitris dijudicandam relinquant.

Nunc restat ut eâdem brevitate dispiciamus, sitnè regnum nostrum Pontificij feudatarium. Historici non de authore tantùm hujus servitutis, sed & de tempore quo primùm inibatur, valdè dissentiunt. Nàm ut illud de *Aluredo*, tanquàm responsione penitùs indignum prætermittam: cùm *Sebastianus Munsterus* dicat *Henricum* secundum *ad expiandam* Thomæ Cantuariensis *cædem, regnum hoc sedi Apostolicæ in feudum concessisse*, Iohannes Bodinus testatur *ob hoc censum tantummodò esse auctum*, & alibi dicit *Reges nostros Angliam & Hyberniam summâ potestate rexisse, quousq;* Iohannes, *qui fraude in regnum evaserat, se regnumq; suum ac subditos omnes dedidit in Romani Pontificis potestatem.* Anno. 12. *Polydorus* pœnam illi indictam esse refert, *ut scilicet ducentos milites* Hyerosolymam *mitteret ad rem*

Lib. 2. Cosmo. cap. de Regibus Ang.

Lib. 1. cap. 9. de Rep.

In Henrico. 2.

Chri-

Christianam tuendam, atquè intra triennium ipse in Syriam cum aliis Christianis principibus exercitum duceret, facturus communi hosti bellum, quod posteà Richardus *ejus filius gessit, & de sacerdotali ordine deinceps optimè promereri studeret, Regemq; hæc omnia se præstiturum jurejurando affirmasse.* Præterea subjicit, *aliquos esse, qui produnt* Henricum *esse passum ità lege sanciri, ut ipse &* Henricus *filius sic Angliæ regnum obtinerent, ut nemo post illorum mortem Regis nomen ferri intelligeretur, nisi quem Pontifex Max. designasset.* Sed apertè fatetur *hujus rei annales Anglicos nec meminisse, nec Reges qui secuti sunt, observantes fuisse. Neubergensis* hanc historiam fusè describens, *Regem, juxtà morem publicè pænitentium, nudum ecclesiasticæ disciplinæ se subjecisse* dicit, sivè de feudo, sivè de tributo verbum nullum facit. *Matheus Parisiensis* formam regiæ submissionis solennitèr & exactè depingit, aiens *promisisse Regem ad mandatum Legatorum, quòd tantum daret de pecuniâ suâ, undè ducenti milites ad defensionem terræ sanctæ possent sustineri per annum. Insuper quòd promitteret deinceps appellationes liberè fieri, & quòd consuetudines quæ suis erant introductæ temporibus contra libertatem Ecclesiæ in irritum revocaret, & quòd possessiones* Cantuariensis *Ecclesiæ, quæ post recessum Archiepiscopi ablatæ fuerant, integræ redderentur. Præterea quòd clericis & laicis utriusque sexus, qui pro beato martyre de regno exierant, cum pace suâ recipere bona omnia & liberè redire liceret.* Quibus etiam verbis epilogi loco subtexit. *Et hoc totum promittere & jurare ac facere*

Rerum Ang. lib. 2. cap. 25.

In Henr. 2.

cere ex parte Domini Papæ Regi injunctum est in remissionem omnium peccatorum. Rex verò juvenis (de *Henrico* filio loquitur) *quicquid Rex pater juraverat & promiserat, ipse juravit & promisit.* Istis ergò Historicorum autoritatibus rectè perpensis atque ponderatis, facile est videre, quàm anile & fabulosum sit illud *Munsteri* figmentum, quàmque non modò ab omni veritate, sed & similitudine veritatis alienum. Nam qui optimam fidem merentur, non nostrates solùm sed & exteri, qui diligentiùs rem explorârunt, hoc non tacent (nam illud suspicionem aliquam haberet) sed longè alitèr referunt. Ergò quicquid hoc sit juris, quod Pontifex in regno nostro vendicat, à solo *Iohannis* facto profluit, & descendit.

Atquè hîc quidem historici tàm parùm inter se consentiunt, ut eorum aliqui fiduciarios Pontificibus, aliqui feudatarios *Anglos* factos esse prædicent. At cliens & Vassallus (quorum ille *fiduciarius* propriè dicitur, hîc *feudatarius*) multùm inter se differunt. Quippè licet uterque fidem suam astringat: cliens tamèn patrono juriditionis tantùm fidem præstat, ut civis; vassallus domino dat etiam cum hominio conjunctum. Deinceps cliens agros suos quos habet, pleno jure possidet, Vassallus minimè proprietarius est, sed tantùm utitur fruitur prædijs suis, & in hoc tàm propè abest ab usufructuario, ut quod hic ad solum vitæ tempus obtinet, ille sibi & hæredibus in perpetuum. Prætereà Vassallus beneficium quo gaudet, saltèm nisi alitèr conventum fuisse liqueat, sine senioris veniâ distrahere non potest; cum hâc lege cliens minimè tene-

Cujac. Duaren. Gerard. passim in consuet. feud.

teneatur.

Plures sunt horum differentiæ, sed singulas non persequimur. Ab historicis scire cuperem clientes an Vassallos Pontificum Reges nostros constituant, sed hoc inter ipsos non convenit. Prætereà de summâ pecuniæ Pontifici quotannis per *Anglum* solvendæ multùm dissentiunt. Alij enim centum markas, alij mille: septingentos scilicet pro *Angliæ*, tercentum pro *Hyberniæ* regno *Iohannem* promisisse referunt: omnes tamen pecunias intervenisse consentiunt. Quod quidèm tantò faciliùs adducor ut credam, quià nihil lucrum non olens Pontificum palatis admodùm arridere solet. Sed tamen hinc aliqui concluderent, nos illis minimè factos esse feudatarios. Quià prædia quæ pro stipendijs dantur fruenda, nonnullorum sententiâ, minimè in beneficiorum (id est, feudorum) numero reputantur: Sed quià novimus viros doctisimos adversam partem defendere, neque substantiam feudi mutatam existimare, licet pecuniæ promisio intercedens pactum alitèr formaverit: hîc non insistemus, nè res dubias arripiendo pro concesis, causæ nostræ diffidere videamur.

At primùm quidèm animadvertendum est, Pontifices feudum illud à Regibus nostris exposcere, quod *ligium* dicitur, id est, quod omnium maximè ligat, & illi præstatur, qui superiorem non agnoscit, ab hujusmodi Vassallo, qui dominũ aliquem alium non habet, cui fidelitatis aut Vassalagij nomine subjicitur. Hoc ergò si illis minimè deberi probaverimus, videbimur, quod volumus, assecuti; siquidem nullũ aliud ipsi vendicent. Pontifices autem Imperatorum Romanorum potestati ab ipsa Cathedræ suæ fabricatione subditos

qui negat, aut imperitiam suam in historijs, aut quod multò pejus est, malam fidem illicò prodit. Desidiosi aliquot Imperatores muneris sui majestatem neglexerunt: nonnulli etiam improbi & nefarij, qui scelerum suorum vindictam à suis extimescentes, sub pœnitentiæ prætextu *Romam*, tanquàm ad asylum, refugerunt, & flagitiorum impunitate diadema suum quasi Pontificibus vendiderunt: sed justum imperium Papas in *Cæsares* unquàm exercuisse, singula quæ usquam terrarum extant antiquitatis monumenta refragantur.

Immensior est hic campus, quàm ut tantillo tempore pervolari possit. Legite non solùm *Crantzij* & reliquorum Germanorum historias, sed & Italorum, atque adeò ipsius *Charoli Sigonij* libros de occidentali imperio conscriptos: & rebus orbis Christiani probè constitutis, Pontifices nihil unquàm magni momenti, non authore *Cæsare*, fecisse, vel aggressos esse comperietis. Si (ut diximus) contingeret aliquem ad solium imperiale quandoque sublevari, qui vel ignaviâ, vel vitæ turpitudine tàm splendidam dignitatem dedecoraret: hunc non solùm prisci, sed recentiores etiam, modò priscæ notæ, Pontifices piè monere, sanctoq; consilio in gyrum rationis reducere solent, imperij majestatem semper illibatam & intactam ipsis reliquerunt. Sed omnes non item. Quippè qui in terrestrem pompam potiùs, quàm in muneris sui justam præstationem oculos suos conversos habuerunt: Imperatorem, cui quicquid habent, acceptum referre debent, deprimere, & authoritatis Apostolicæ nescio cujus prætextu, conculcandum proterendumque à suis subditis exponere non reformidârunt. Verùm *Christus*, cujus vicarium se Papa profi-

In sua Saxonia.

profitetur, nihil tale cogitavit unquam, *regnum suum de hoc mundo non esse* palam significavit, *Cæsari* nec quidem Christiano tributum & alios solvere jussit, & ipse solvit. Iohan.18. verſ.36.

Christe Iesu, tu illam sæcularis potestatis habuisti rationem, ut ipse cælorum terræque dominus, Imperatorum etiam ethnicorum decreto te submiseris, & tamen vicarium tuum principibus terræ vel religiosissimis dominari sinis? Quomodò igitur est tibi animus mutatus? Aut potiùs quià tu semper idem es, nec quicquam unquam fecisti, quod bonum non fuit, quomodò a vestigijs tuis sic iste declinavit, ut non solùm Imperatoribus tributum neget, sed & sceptrum etiam & solium invideat, tributum, solium & sceptrum justis dominis ablatum sibi quotidiè rapiat & accumulet? Nos non miramur eum Insulæ nostræ tàm audacter ambire principatum, qui totam *Europam* suis cupiditatibus non satis amplam & spatiosam invenit, qui Reges terræ sibi feudatarios tenere non satis arbitratur, quorum cervices pedibus suis non premit. Verùm hoc quantâ cum injuriâ facit, vel illud unicum declarat, quòd illa omnia quæ ipse possidet, ab ipsis Imperatoribus, idque peculij nomine acceperit. Peculium est, quod filius vel servus, qui sui juris non sunt, eorum, quorum potestati subijciuntur, permissione & arbitratu possident. Opimum fateor esse peculium, quod isti partim à *Constantino*, partim à *Charolo* Magnis consecuti sunt: sed hoc cùm precariò teneatur, in causâ esse debet, cur tantò submissiùs, non insolentiùs erga principes ipsorum successores se gerant.

Non satis assequor, quam rationem tantæ potestatis suæ prætexunt, ut non nostrum solùm, sed & multa alia

regna

regna sibi feudum debere somnient. Nam hujus generis beneficia sub hâc solent dari conditione, ut qui illa acciperent: eos armis adjuvarent, a quibus in se collata sunt. At Pontifex procul ab armis semper abesse debet. *Petrum* pugnaturum *Christus gladium in vaginam reponere* jussit, eoq; certè dicto monuit non illum tantùm, sed & successores ejus omnes jus gladij debere refugere. Sedes illa Pontificia igitur tam amplis dotibus ornata est, ut qui eam possident, tantæ liberalitati acquiescentes nihil ampliùs expeterent, quàm principum bonitate accipiunt, precibus assiduis pro eorum salute vacarent, orbemq; universum Christianum *Deo Opt. Max.* quotidianâ oratione & divinis officijs commendarent, cujus moderatores tam fœlicem a barbaris Christi hostibus tranquillitatem, & longè pulcherrimā opulentissimamq; vitæ conditionem sibi conciliasse vident. Arma si quandoq; meditentur, obliviscuntur sui, stationem a summo Imperatore sibi præstitutam deserunt, destinatos muneris sui fines apertè violant & transiliunt. Sed nec armorū tantùm, sed & terrestris dominij cogitationes illis sunt abijciendæ. Nam & hoc sine illis non rectè sustinetur, & ipsum eorum jus hominibus spiritualibus docet à rerum sæcularium contagione prorsùs abstinendum.

Iohan. 18. vers. 11.

Nostri certissimo tradunt axiomate, neminē plus juris in alium transferre, quàm ipse habet. Itaq; qui rem alienam vendit, eam non alienat. *Iohannes* igitur cum alienum regnum invasisset, illud in feudum Pontifici dare quî potuit? Regnum eum injuriâ occupasse tam manifestū est, ut hoc Pontifices si velint, dissimulare nequeant. Siquidem *Hēricus* ejus nominis a Normanno secundus, filios habebat *Henricum, Galfredum, Richardū*

l. 28. ff. de cont. empt.

& *Iohannem. Henricus* sine liberis ante patrem moriebatur. *Galfredus Arthurum* genuit, & diem suum ante patrem obijt. Patrem ergò in regno *Richardus* justo ordine secutus est, qui quod liberos nullos superstites relinqueret, ad *Arthurum* imperium justo successionis jure devolvitur. Quòd igitur *Iohānes* gratiâ matris opeq; Antistitis *Cantuariensis* regnum perperàm invaserit: perpulchrum est hoc & Pontifice dignum feudum, quod *Innocentio* Rex tam justus. dedit prius, ut deinceps acciperet.

Causam hujus initæ servitutis alij alitèr referunt. Non nulli scribunt *Iohannem* à *Philippo Gallorum* Rege armis petitum in ultionem fœderis, quod cum *Othone* Imperatore contrà ipsum percusserat, sibi multùm timuisse, cùmq; in *Anglorum* fide non multam spem collocaret, quorum imperium & contrà *Richardi* fratris testamentum, & jus successionis occupatum multâ crudelitate jam diu vexauerat, diademate suo in legati Pōtificij manus oblato, regnoque sedi illi in feudum concesso, petijsse à Divi *Petri* successoribus, ut ipsum in posterū ab hostium quorumcunq; viribus tanquàm suū Math.27. vers.6. protegerent, & defenderent. Aliqui ob *Arthurum Galfridi* fratris natu majoris filium, regniq; nostri justum hæredem, interemptum, aliaq; multa flagitia sua perpetrata, non solùm interdicti Pontificij fulmen eum sensisse, sed etiam *Philippum, Gallorum* Regem, quem legatus Pontificius in eum ut virtutis & religionis contemptorem excitaverat, cum ingenti exercitu transmissurum expectasse dicunt. Atque igitur, cum domestico odio laboraret, & exteris hostibus undiq; circumfusum se perspiceret, *Pandulphi*, qui tum *Innocentij* apud illum legatus fuit, suggestu Pontificis ad misericordiam

ricordiam confugit, &, in signum futuræ subjectionis, diadema suum in legati manus oblaturum promisit, nec se nec hæredes suos deinceps nisi ab *Innocentio*, Pontificibusque successoribus accepturos.

Vtrinq; scelus est, & longè truculentius, quàm ut cuiquam, nedùm Pontifici, tantum emolumentum afferre debuit. Tragicas vociferationes (viri ornatissimi) contrà *Innocentium* à me non expectetis: quippe qui non odiosis convicijs, sed solidis argumentis quod propositum est, efficere cupio. Nemo vestrum est interim, qui ignorat, quàm sit a naturæ legibus abhorrens & alienum, ut fraudis & impuritatis præmium tam opimum quis ferat. *Iohannes* patricida, tyrānus fuit, in omni vita tam turpis & flagitiosus, ut exteri jam ad justissimum supplicium illum raperent, domestici non ampliùs sustinerent: papa tamen in regno nequissimè tàm parto quàm administrato contra utrorumque vires eum confirmare non dubitavit, dummodò illud sibi beneficiarium agnosceret. At *Pharisæos* ipsos & *Domini* nostri carnifices nollem à *Petri* successoribus avaritiâ & ambitione superari. Numulos, quibus *Iudas Christum* vendiderat, cùm a proditore reducerentur, illi in ærario suo minimè reponendos censuerunt: isti vel regnis opulentissimis sanguine quæsitis in *Vaticano* suo locum reperiunt. Certè licet *Innocentius* sic contrahendo fœdissimè lapsus fuerit; tamen ejus successores si non religiosiores, at tectiores & politicoterous judicarem, quàm ut feudum sic acquisitum tàm audactèr vendicent. Sed monita nostra quià respuunt, vendicent quàm diu voluerint: nos tale aliquid deberi strenuè pernegamus. Nam quæ quis ob turpem causam promittit, meliùs retinet, quàm solvit: imò verò quæ dedit, si accipi-

Math. 27. vers. 6.

ens

ens in culpâ etiam sit, quemadmodum hic fuit *Innocentius*, justè repetit & condicit.

Sparsim in tit. de cond ob turp cauſ.

Ex his, quæ dicta sunt, intelligimus donum hoc fuisse ejusmodi, ut illud nec Pontifex accipere, nec *Iohannes* dare posset: & ut alter accipere, alter dare potuisset, causam tamen intervenisse tam turpem atq; scelestam, ut & ipsi *Iohanni*, suis successoribus multò magis justissimam condictionem præbuisset. Sed disputandi causâ fingamus regni nostri fuisse justum possessorem, sedem, quæ solet Apostolica dici, regiam esse, nulli subditam, & cujuscunque feudi capacem, rationem, quâ ad tãtam beneficentiam *Iohannes* ducebatur, cum pietate & religione convenisse: tamen ipse donandi modus tàm apertè claudicavit, ut Pontifici nullam prorsùs utilitatem attulerit. Regi enim *Anglorum* regni sui diminutionem, multò magis alienationem interdictam esse, quilibet vel in politiâ vel jure nostris mediocritèr versatus agnoscit. Nam Regibus summum jus administrandi, non etiam alienandi sui Regni conceditur. At quid si populi consensus accedat? Nam *Iohannes Bodinus* vir summæ eruditionis, fidei etiam minimè contemnendæ dicit, *apud ipsum extare formulam hujus fiduciæ, quam ex actis Vaticanis expressam legit*. Ex illa autem constare, quod *legatus Innocentij tertij fidem à Iohanne accepit anno* 1213. *præsente Cancellario, sex Angliæ Pontificibus ac totidem comitibus, infinitâq; populi multitudine consentiente*. Nihil horum negamus: tumultuarium hunc consensum tale aliquid potuisse Pontifici dare nunquàm tamen confitebimur.

Vbi supra.

Celebrem illum Regis ordinumque conventum (quod nos Gallica voce *Parliamentum* dicimus) jam

anteà prudentissimè instituerat *Henricus* primus, quem tanti momenti esse voluit *ut deinceps quicquid ad Rempub: benè gerendam ejusque conservationem deliberandum foret, illud ad Consilium referretur, & si quid aut Regis aut populi jussu decretum factumque esset, id totum pro nihilo haberetur, nisi ejusmodi Consilij autoritate foret comprobatum.* Quapropter quòd dicat *Iohannes Bodinus* è tot episcopis & comitibus, quot *Anglia* nostra habet, tantùm sex vtriusque dignitatis huic formulæ subscripsisse: satis pro nobis evincit, consensum hunc, qualiscunque fuerit, mutilum atque mancum fuisse, nec valuisse quidem hilum. Hic enim noster Conventus in duas domos distinguitur, superiorem, quæ ex majori nobilitate constat, & inferiorem, quæ ex multitudine conflatur, & quicquid vel hìc vel illic propositum majoris partis consensu indiget, in auram inutiliter expirat & evanescit. Parliamenti igitur nostri autoritatem nobis ostendant Pontificij, quâ jus hoc suis Pontificibus confirment; & parebimus: interim nè putent populum tam magnanimum jura majestatis tam parvi facere, ut cuicunque titulum prætexenti tradere velit.

Polyd. in Henrico. I.

Nihil satis esse potest illis ad immunitatis nostræ confirmationem, quibus ista non sufficiunt: & tamen hæc non sunt omnia, quæ nos adjuvant. Nam feudum, quod Pontifices nunc multò impensiùs vendicant quàm solent, cum ipso *Iohanne* statim extinctum nunquàm revixit. *Henricus* ejus filius, qui proximus omnium illi successit, licet haberet legatum Pontificis, qui tùm in *Angliâ* versabatur, suæ causæ defensorem; principum tamen votis regnum illud adeptus est, imò quidem ab episco-

episcopis *Vintoniensi* & *Bathoniensi* coronatus. Ab *Henrici* autem tertij morte usq; *Henricum* 8, qui Papam funditùs excussit, nostri annales ne memoriâ quidèm ullam hujus servitutis faciunt. *Iohannes Bodinus*, *Henricum octavum papæ fidelitatem jurasse* tradit, sed quàm verè *Blondus* satis testatur, qui in historiâ suâ de imperij declinatione, quam annos circitèr 150 ante *Bodinum*, & *Henrico* sexto (ut videtur) apud nos regnante, composuit, hoc Vassalagium ante suam ætatem sublatum esse non obscurè significat. Quid multa? *Mariam* nostram non dubitatis omnia, quæ patrem suum injuriâ Pontificibus detraxisse putaverat, sine omni difficultate fuisse illis restituturam. At illa cùm Ecclesiæ principatum *Romam* referendum esse duceret, & constitutionibus, quæ Pontificibus à primâ ipsorũ ejectione detrimentũ aliquod attulerant, abrogatis, rem *Anglicanam* ad pristinum illum statum, quo antè exturbatos Pontifices steterat, omninò revocaret: de feudo tamen hoc vel de summâ pecuniarum quotannis eo nomine solvendâ nè quidèm verbum fecit. Si illa *Henricum* patrem idem primùm, idq; cum injuriâ Pontificibus denegasse credidisset, ipsa etiam, ni fallar, agnovisset. Sed vel *Henricum* abstulisse, vel eam restituisse nemo refert. ELIZABETHA igitur quid hîc commisit? Nihil, ut videtis, cujus exemplum à dilectissimâ Pontificis filiâ non accepit. Quamobrem illa, si dum viveret, de hâc re nè appellaretur quidèm, nec mortua reprehendatur: cur hæc tantâ insidiarum varietate quotidiè petitur, quantam qui *Deum* non habuit defensorem, nemo omnium prudentissimus unquàm evasit?

Vbi supra.

Lib. 16.

Anno 1. & 2. Phil. & Mar.

Hîc paululùm respiravit *Iuri sconsultus*, sed *Historiographus*, ut ad novum adhuc congressum eum incitaret,

ret, verba hæc ex eodem autore legit, petitque quid ad illa respondet. *Quid enim ille in te beneficiorum contulerit, quâq; ingratitudine, nè dicam perfidiâ, illi gratiam retuleris, libet paucissimis commemorare.*

Pag. 20. & seq. *Quòd conjurationis* Thomæ Viati, *in laudatissimam Reginam* Mariam, *Regi Catholico tunc desponsatam, te quoque consciam participemq; fuisse, non incerta argumenta fuerint, probarunt alij. Quamobrem cùm in carcerem esses conjecta, extremumq; tibi capitis periculum immineret, Rex Catholicus, cùm in* Angliam *ad matrimonium consummandum venisset, nihil prius antiquiusque habuit, quàm tuo nomine intercedere, neque antè destitit, quàm in gratiam suam libertati restituta esses.*

Quæ vel suo nomine, cùm jam indè ab eo tempore tibi patris loco, (uti qui vitam conservasset) esse debuisset: uxore deindè suâ Reginâ defunctâ, summum hoc beneficium altero etiam auxit, &c. Hîc manus suas vix continuit vir ille magnificus, quò minùs librum abjiceret in malam rem. At nunquã (inquit) hominibus catholicis persuaderi poterit, vt, relicta hac maledicendi libertate, potiùs rem ipsam sequantur, quàm inani conviciorum strepitu bilem suam exerceant? Hoc dedecus donec ex eorum libris penitùs absterserint, hiulcum & turbulentum simultatis prodent, sanctum & temperatum illum *Iesu Christi* spiritum nunquàm redolebunt. Atque certè authoritas tanti viri nõ minus apud me valere debet, quàm vt verba hìc aliqua putidissima, quæ ille ex authore isto de *Anna Bolena* quondam *Henrici* conjuge percẽsere recusavit, me etiam prætermittere faciat. Sunt enim otiosa, & malitiam viri ostendunt, ad causam nihil pertinent. Imò

quidē vos omnes mirum in modum obtestor, vt quæ Magnatum personas lædunt, religionem nihil adjuvāt, semper deinceps fugiatis. Nā virulentus hic in principes invehendi mos, vtcunq; plerisq; nostrarum partiū hominibus gratus sit, judicibus tamen prudentioribus nihil præter audaciam & superbiam authoris probant. Nos illa verba describere pergemus, quibus *Historiographus Iuriſconſultum* respondere cupiebat. *Attamen tantum abfuit, ut adverſum te optimus Rex quidquam moliretur: quin potiùs uſq; adeò cauſæ tuæ faverit, ut ipſius ſolius commendatione regnum adepta eſſe videreris.*

Hoc minimū eſt, quòd omnia etiā amantiſſimæ ſuæ defunctæ conjugis monilia, torques, armillas, cæteraq; ornamenta pretioſa, non exigui ſanè pretij, liberaliſſimè tibi conceſſerit, cùm ſibi habere potuiſſet.

Deindè nihil de priſtinâ ergà te benevolentiâ remittens, cùm de pace componendâ inter ipſum & Henricum *ſecundum Galliæ Regem Cameraci ageretur: cùmquè jam ſola ſupereſſet difficultas de* Caleto *reſtituendo: tàm acritèr negotium illud urgebat (id per Legatos tuos ab ipſo, tanquàm seriò, te petente) ut potiùs honeſtas quaſvis pacis conditiones negligere, quàm non obtinere decreviſſet. Interim cùm è re tuâ non fore tibi videretur tàm firmam inter hos Principes pacem conciliari: veritanè, cùm omnia in* Angliâ *turbare jam tum in animo haberes, Rex Catholicus nullo hoſte impeditus (propter falſam eam, quam de te optimam ſpem conceperat) ſceleſtos tuos conatus coerceret atquè retunderet, eam omninò impedire moliebaris, eamq; ad rem clanculùm quoquè Legatos tuos, ſive potiùs*

susurrones, apud Gallum *habebas, qui asserebant te restitutionem* Caleti *flocci facere : contrà, qui ab alterâ parte apud Regem Catholicum erant, importunissimè ad ejusdem restitutionem sine intermissione urgendam, Regem solicitabant : quæ res non exiguam pacis desperationem adferebat. Verùm tàm singularem perfidiam ubi Rex Catholicus ex indicijs perspexisset : nihil moratus extemplò pacis conditiones, de quibus inter pacificatores utrinque convenerat, ratas habet, quæ pax hùc usq; non sine summo Christianæ Reipublicæ bono duravit.*

Quatuor hîc (statim inquit *Iurisconsultus*) commemorantur *Philippi* erga ELIZABETHAM beneficia, videamus quàm præclara. Primum atque summum illud meritò ducitur, quòd ab ea *Viati* cõjuratione respersa justum mortis supplicium deprecatus sit. Magnum profectò atq; memorabile, si tale aliquid fuerit, nec ullâ temporis diuturnitate obliterandum. Sed tanta hîc fuit ELIZABETHAE innocentia, ut & inimicorum infestissimorũ dolos, & curiosissimorum examinatorum solertiam, & tristissimum turris *Londinensis* squalorem non superaret tantùm, sed facilè contemneret. Immò cùm nec astus contra illam invenire, nec fraus effingere vel levissimam hujus facinoris suspicionem posset, gratiæ favorisque spe ad aliquid confitendum (ac si plus illi scivissent, quàm ipsa cogitavit) callidè circumvenitur. Sed Virgo *Deo* & rectâ conscientiâ sic sublevata est, ut lenitatem & minas eodem loco haberet, nec quicquam præter summum jus expeteret. ELIZABETHA *Viatum* accederet, quem matris suæ truculentissimum hostem, pestilentissimumque accusa-

[Margin notes: Beneficium Philippi primum. — Hol. in Elizab. — Sand. in schis. Ang. l. 1. p. 18.]

cusa-

cusatorem cognoverat? Sed hoc testibus & alijs indicijs evicisset hic qui affirmat, nobis satis sit negare, quod tàm perniciosus adversarius probare non potuit, præsertim in hoc curriculo, quod spaciosius multò est, quàm ut moram aliquam in ipsis carceribus patiatur. Cùm nihil igitur in virgine tàm augustâ reperiretur justâ reprehensione dignum, scitum equidem est hanc insignem clementiam in *Philippi* preces conferre, quam ipsa crudelitas nullo criminis prætextu, nullâ fictione illi denegare potuit.

Quòd *Philippum* ei tàm propitium in imperij assecutione dicat hic fabulator, ἀνιστορήτως hoc certè dicit. Nàm *Philippus* cum uxoris suæ *Mariæ* nescio quo fastidio caperetur, vivam adhuc illam regnantemque deseruit, & in patriam clàm se subduxit. Post aliquod deinde tempus *Maria* diem obit, & ELIZABETHA, ut erat jure sanguinis imperio proxima, sic unanimi omnium consensu Regina declaratur. In ipsâ tantùm inauguratione difficultatem aliquam intercurrisse minimè diffitemur. Quippè eam Pontifici infensiorem Episcopi nostri (singuli quidem sectâ Pontificiâ tincti & imbuti) putaverunt, atque igitur pectus illi unguentis illis sacris perfricare, caputque diademate redimire, omnes præter unicum *Carleolensem* pertinacitèr recusârunt. Hîc matris (ut iste vaferrimè calumniatur) nulla labes, nullum hujusmodi quod fingit à patre subditis suis insusurratum impedimentum, nulla procerum hæsitatio, nullum *Philippi* beneficium fuit. Ordines imperij nostri ad Parliamentum convenerant, tùm cùm nova de *Mariæ* interi- **Beneficium 2.**

tu promulgarentur. Illis auditis, nobiles sine omni cunctatione sororem ejus ELIZABETHAM, veram legitimamque Regni hæredem declarandam judicantes, prolocutorem (quem vocamus) jubent ordinem plebejum ad se convocare. Eum cùm ascendisset, statim *Hethus* Archiepiscopus *Eboracensis, Angliæq;* Cancellarius in hunc modum affatur.

Hol. in Eliz. *Hùc convocamini, ut intelligatis nos hodiè de obitu nostræ Reginæ certiores esse factos. Qui casus licèt meritò tristissimus censeri debeat, hoc tamen habet admistum lætitiæ & suavitatis, quod Deus Opt. Max. adhùc nobis superstitem conservaverit* ELIZABETHAM *ejus sororem, & Regis nunquàm satìs laudati* Henrici *octavi filiam: de cujus ad hoc imperium jure, nulla cuiquam dubitatio esse potest. Quamobrem proceres celsioris domus, si vos etiam consenseritis, protinùs ad palatium procedendum ducunt, &* ELIZABETHAM *hujus terræ Reginam pronunciandam.* Quibus verbis auditis, ordinem integrum summâ letitiâ gestientem exultantemq; vidisses, unicâq; voce clamantem

Ibidem. *Vivat* ELIZABETHA *Regina, diù nobis fæliciterq; præsit.* Hæ preces non majori alacritate, quàm pietate atq; zelo videntur fuisse fusæ, quæ cœlos tàm mirificè penetrârunt, & beatissimū tot annorū imperiū ELIZABETHÆ nostræ apud summū rerum moderatorem obtinuerit.

Beneficium 3. Monilia, torques, armillas, quæ *Mariæ* fuerant, ELIZABETHÆ *Philippus* dedit. Quid hîc, obsecro, magni est? quid, quod integrâ atq; salvâ Regis existimatione repetijsse potuit? Ille uxorem vivam & bonâ valetudine reliquit: ejus ornamenta igitur non sine summo dedecore abstulisset.

At cùm non multò pòst in *Hispaniâ* jam existens eam audiret esse mortuam, quid ageret? illa in *Hispaniam* sibi mitti posceret? at hoc angustum & jejunum. Distraheret? at hoc sordidum & tanto Monarchâ indignissimum. Cuiquam alij, quàm sorori daret? at hoc danti inhumanum, accipienti invidum. Regem ergò tàm magnificum exilitèr frigidèque laudat hic insulsus admodùm declamator, cùm tantillum munus ejus ergà uxoris suæ sororem, augustissimam etiam Reginam, in eorum beneficiorum numero reponit, quæ pietatis religione quâdam & quasi Sacramento hominem homini devincire solent. Hostis hosti multò splendidiora sæpissimè dedit.

Sed ornamenta hæc quid si *Philippus* non dederit? quid si pacto non tàm ELIZABETHAE, quàm ipsi regno reliquit? Certè aut exigua fuerunt, aut hoc ità se habet. In ipso enim nuptiarum tractatu convenit inter principes hos, ut *Philippus* in regni diadematisque societatem ad *Mariæ* tantùm vitam asciscere-tur, eâque mortuâ sic se ad suos reciperet, ut de gemmis, lapidibus pretiosis, reliquisq; magni pretij rebus, nihil è regno asportaret. Quapropter aut novo quodam dogmate, pactis conventis minimè standum ducit hic subtilis Iurisconsultus, aut saltèm in *Philippo* nihil magni videt quod laudet, in quo vulgare hoc & minutum tantâ commendatione efferendum putat. Nàm si de magni momenti rebus sentiat, hæc relinquere *Philippum* fides data jussit, ità ut non dederit, nisi quòd non ademerit: si de vilioribus & contemptioribus, hæc quidem reposcere pudor vetuit. Hæc tamen omnia si *Philippum* dedisse confiteremur, non tàm solidas munificentiæ laudes sta-

Hol. in fine Edov. 6.

tùm illi tribueremus: quippè qui auri & argenti signati tantam vim à nobis exportavit, quanta omnium quæ in *Europâ* sunt Reginarum monilia, torques, armillas, & reliquum quemcunque ornatum multis gradibus superavit, ipsumque graviori dedecore, quàm naves suas pondere oneravit.

Beneficium.4. Quamobrem inter icendum fœdus illud *Cameracense* (nàm nunc ad ultimum *Philippi* beneficium accedimus) dissimulasse aliquantulùm ELIZABETHAM cum *Hispano* nunquàm puduerit, saltèm de rebus ad Reipublicæ suæ statum pertinentibus, cui neminem benè optare scivit, qui *Romano* Pontifici tantum in delicijs esset. Sed eam tamen duos illos Reges tàm crassè lusisse prorsùs inficiamur. Nunquàm enim vel mentis vel conciliariorum tàm inops fuit, quin multò tectiùs suas designationes ad exitum perducere potuerit. *Gallus* & *Hispanus* de pace ineundâ deliberant. *Angla* (si huic G. S. A. nescio cui trium literarum homini fidem habeamus) *Hispano* persuadet, ut aut *Caletum* sibi retradi faciat, aut pacem inchoatam & imperfectam relinquat: *Gallo* tamen significat se flocci facere quod ab illo tàm vehementèr contendit. Quis unquàm, saltèm qui apud se est, hoc crediderit? *Gallum* ità hebetem & obtusum existimabimus, ut cùm *Caletum* tanto ardore, idque ELIZABETHAE nomine peti intelligeret, quod sine summo regni sui incommodo concedi non potuit, potiùs re infectâ legatos *Hispani* dimitteret, quàm ELIZABETHAE hunc ad se nuncium illi patefaceret? Aut ELIZABETHAM tàm temerariam atque futilem, ut cum *Gallo* consilium illud communicaret,

ret, ad quod non ità multò pòſt cum aliquâ ſuâ contumeliâ prodendum, eum aliquâ neceſsitate teneri viderat? Neſcio quis ſit in ſcholis aut in clientelis hic Doctor, qui has ineptias in vulgus tàm confidentèr effudit, ſed in publicis & principum rebus non dubito, quìn hoſpes admodùm & peregrinus.

Vultis quod res eſt? In pace illâ *Cameracenſi* (de quâ hic loquitur, nihil ſcire videtur) componendâ, *Hiſpanus* ſummum ardorem *Caleti* nobis recuperandi præ ſe ferebat. Sic enim & honoris ſui, quem illud oppidum amittendo multùm diminuerat, & amicitiæ noſtræ, quam tenere potiùs quàm promereri cupiebat, contemptum minimè ſe proditurum exiſtimabat. Inſtat igitur *Gallo*, ut *Caletum* nobis reſtituat, eumque non levitèr urget. *Gallus* autem tanti ejus ſocietatem emendam eſſe non duxit, nec ſolùm iniquiſsimam pacis conditionem, ſed ſibi etiam turpem & ignominioſam jure exiſtimavit, ut oppidum ſitu ditioneque ad majores ſuos ſpectans, quod virtute ſuâ non multò antè receperat, nùnc nimiò ſivè *Philippi* metu, ſivè pacis ſtudio deſereret. Tandèm hùc redacta res eſt, ut aut pacis, aut *Caleti* ſpem omnem nobis deponendam *Philippus* ELIZABETHAE ſignificaret. Illa cauſam fuiſſe intellexit, cur *Philippus* hoc oppidum anteà, cùm noſtrum eſſet, nobis conſervaſſet, nullam autèm, cur *Gallus* illud obtentum nunc tàm facilè deſereret. Atque igitur quià hoc fœdus inter duos Reges potentiſsimos initum rebus ſuis pernicioſum eſſe poſſe vidit, niſi ipſam in eo tertiam aſcriberent: *Caletum* potiùs *Gallo* permittendum, quàm fœdus retardandum cenſuit. Hìc ſi fidem nobis non habeatis,

habere tamen Italo, qui illorum temporum histori-am literis mandavit. (*Che ella temendo* (inquit) *che accordato il Re Catolico, non zinnanesse â se sola la quistione col Re de Francia, &c.* Cum ergò nullo *Philippi* beneficio ELIZABETHA tenea-tur, ingrata illi dici non potest. Sed peccare ergà ali-quem possumus, cujus benè meritis minimè obliga-mur, præsertim *Philippum*, quocum nobis fædus jam intercesserat, in omnibus futuris temporibus religiosè excolendum. Hoc jam ruptum, vel saltem pessimè concussum intelligimus, cujus rei *Philippus* an ELI-ZABETHA causam dederit, vestrâ bonâ cum ve-niâ libet paucis explorare.

Adrian. lib. 11. f. 1098.

Quod si pacatiore animo fecerimus, quàm istius Doctorelli putida insolentia postulat, non ideò causâ deteriores, sed modestiâ potiùs superiores nos judica-te, qui religione nostrâ docti principum quantum-cunque nobis infestorum majestatem sacrosanctiorem semper existimavimus, quàm ut orationis petulantiâ & impuritate sic depravari & deformari debeat. Non peccavit *Philippus*, quòd hic homuncio stupidissi-mus procacissimusque tot maledictis ELIZA-BETHAM nostram insectatus sit, sed peccant quicunque de hoc eum castigare possunt, nec tamen appellant: neq; magis ELIZABETHAM nostram suis rabulis pervellendam, quàm seipsos no-stris dilaniandos objiciunt & exponunt.

Aliqua tùm *Philippum*, tùm etiam ELIZABE-THAM commisisse nemo ignorat, è quibus justissi-mæ offensiones exceptæ sunt. Sed uter alterum primò irritaverit, nec inter ipsos nec multos alios convenit. *Philippus* ELIZABETHAM *Belgicas* illas

contra

contra eum conspirationes fovisse criminatur, ELIZABETHA *Philippum* à se minimè lacessitum hoc tantùm prætexuisse contendit, nè sine colore aliquo subditos suos tàm *Anglos* quàm *Hybernos* ad rebellionem concitasse videretur. Ad faciliorem, hujus controversiæ disceptationem res paulò altiùs repetenda est.

Singulæ illæ septemdecem provinciæ, quarum circuitu atque plexu *Germaniam* inferiorem antiquitas definivit, non ità pridem diversorum gubernatorum, diversis etiam honorum titulis insignitorum imperio subditæ fuerunt: Ità ut qui illis præessent, alij Duces, alij Comites, alij Episcopi dicerentur, & vel Imperatorem, vel Regem *Franciæ* dominum suum atque patronum tanquàm feudatarij omnes agnoscerent: Sic tamen, ut nec hic, nec ille absolutum in eas imperium exerceret, sed certis potiùs conditionibus annexum, quas eorum uterq;, tum cùm ipsarum patrocinium susciperet, se religiosè observaturum, sacramento se obligavit.

Tandem has omnes *Charolus* quintus partìm hæreditatis jure, propter matrimonium inter *Maximilianum Austriæ* ducem, avum nimirùm suum & filiam *Ducis Burgundici* contractum, partìm victorijs suis diversisq; machinationibus harum omnium dominatum adeptus est. Qui quamvis propter immensam suam potentiam pristinas earum libertates, & inveterata privilegia nonnihil concuteret, nō ità tamen labefactavit, quin *Philippus*, cùm earum singularum curam à *Charolo* patre suo sibi commissam acciperet, solenni jurejurando singulis polliceretur, non solùm earum leges & consuetudines, quibus diversis regebantur, sed & immuni-

munitates etiam quascunq; integras illis perpetuò conservaturum. Hoc non obstante, *Philippus* non unâ tantùm viâ aggressus est has provincias jam sibi unico domino parentes eisdem etiam legibus submittere, & ad unici quasi regni formam redigere. Sed illam semper in populo constantiam, eumque antiquarum legum suarum amorem sensit, ut ipse, dùm apud eos permaneret, nihil alicubì innovaverit, sed anno Do-
Anno. 1559. mini 1559 discessurus in *Hispaniam*, provinciarum gubernationem eandem, quam ipse eam acceperat, sorori suæ *Ducissæ Parmensi* commiserit, nisi quòd consilium quoddam aliud, præter illa quæ priùs fuerunt, privatum scilicet, & numarium, stabiliverit, quod propter res magni momenti quas tractabat ad provinciarum gubernationem præcipuè spectantes, Consilium status appellabat. Hujus consilij præsidentem Episcopum Arrensem constituit, & quod vera evangelij lux tùm in diversis apud eos locis explendescere cæpisset, *Philippus* diplomate Pontificio munitus, novorum priusque inauditorum archiepiscopatuum episcopatuumq; ad ecclesiæ, si *Deo* placet, confirmationem, melioremq; rerum ecclesiasticarum procurationem fundamenta jecit.

Hæ novitates magni cujusquam mali suspicionem nonnullis tàm è nobilitate, quàm è plebe attulerunt: qui non ità multò pòst, anno nimirùm 1560, cum His-
1560. pani designationes publicè declarabantur, galerusque rubeus (illud Cardinalium insigne) ad episcopum Arrensem mitteretur, apertè ostendebat sibi has rerum mutationes non leviter displicere. Nam sine statuum consensu attentatæ, nihil aliud quam inquisitionis *Hispanicæ* invectionem, & harum provinciarum ad

Neapoli-

Neapolitanorum Mediolanensiumque exemplum subjectionem apertè minitabantur. Hinc multi ordinis *Theuto*: milites, multique principes à Cardinalis commercio se alienârunt, à Consilio abstinuerunt, & anno 1562 ad *Philippum* literas scripserunt, quibus animos suos à Cardinali aversos significabant, & vel se vel illum ab hoc status consilio abdicari petebant. Interim Episcoporum autoritati prælati Antuerpienses, & principes societatem quandam ineuntes à Consilio se detinuerunt, donec Cardinalis sub prætextu visendæ matris suæ in *Burgundiam* se recepit. 1562.

Philippus adhuc in Inquisitionis stabiliendæ proposito, & diplomatum quorundam rem religionis spectantium executione firmitèr perseverat. Vndè nonnullorum nobilium quædam confœderatio anno 1565 causâ religionis inita sese prodidit. Nam magnus fit undiquè populi concursus, & imagines multis è basiliscis fractæ deturbantur. Qui tamen tumultus partìm diplomatum mitigatione, partìm principis *Auraicæ* cæterorumq; Satraparum prudentiâ & moderatione sic sedatus est, ut dux *Albanus*, cùm à *Philippo* in auxilium præsidis missus illùc appelleret, omnia pacata invenerit, nullam urbem, nullum hominem ejus imperio refragantem deprehenderit. 1565.

Adhuc pergit *Philippus*, & ad illud hìc efficiendum, quod *Neapoli* priùs effecerat, consilium aliud erigit, illud nimirùm quod vulgò turbarũ appellatur, verè quidem turbulentum & tumultuosum, eiq; *Vargonẽ*, *Hispanum* cruentũ atq; crudelẽ præficit, nonnullos nobiles capite plectit, decimumq; denarium (tributi non ferendi nomine) subditis exprimit, castellum *Antverpiæ*,

Vlissingiæ

Vlissingiæ propugnaculum extruxit, ità ut populus hîc fundamenta perpetuæ servitutis jacta sentiens exulceraretur admodùm, & suæ libertatis vindicem illicò circumspiceret. Princeps autem *Auraicæ*, cùm *Philippum* contrà jusjurandum res non solùm novas sed truculentas planè & provincialibus infestissimas meditari videret, (Nam *Dillenbergæ* tum fuit) populiq; jam tam duræ servitutis jugo oppressi non levi miseratione percelleretur, armis non tàm lacessendum Regem, quàm expellendam perfidiam atque tyrannidem esse duxit, atque igitur facilè captis illis oppidis *Brillâ* & *Vlissingâ* bello huic initium dedit, quod ad hodiernum diem non sinè horrenda innumerorum Christianorum strage protractum intelligitis. Quæ hîc, obsecro, culpa ELIZABETHAE? Ex his enim quæ jam diximus, luce clariùs apparet, *Hispanos* suâ ambitione atque crudelitate populum hunc ad arma vel invitum perpulisse, & *Philippum* tot molestiarum causam suis ministris quàm *Belgis*, nedùm *Anglis* multò justiùs posse ascribere. Hîc si nos fide dignos non existimetis, at tamen si ipsius *Philippi* literas ad Reginam nostram, quas ego aliquandò legì, videretis, certè luculentius aliquod istarum rerum testimonium non desideraretis.

Tumultus isti *Belgici* hoc initium habuere, quod quam ELIZABETHAM nostrã non pertigerit, audivistis: jam etiam quem progressum sortiti sunt,
1576 consideremus. Vsque annum 1576 nemo unquàm ostenderit ELIZABETHAM nostram vel militibus vel pecunijs ejus dissidij authores adjuvasse. Imò verò quòd *Philippus* eos rebellium loco haberet, illa se etiam inimicam atque hostem eis præbuit, subditisque

tisque suis,qui clanculùm ad illud bellum transmiserunt, multùm irascebatur,etiam mercatoribus *Anglis* omne cum eis commercium interdixit,& bellicis ipsorum navibus omnem usum suorum portuum denegavit. Tandem percrebuit rumor,*Gallorum* Regem eorum patrocinium contrà *Philippum* in se susceptorum; quapropter ut ELIZABETHA non solùm a culpâ hic,sed omni etiam culpæ suspicione se liberaret, virum nobilem prudentissimumque, *Henricum Cobhamiensem* illustrissimæ *Brokij* familiæ equitē auratum, ad fovendum illud,quod ELIZABETHAE cum *Philippo* jam priùs intercesserat, amicitiæ fœderisq; vinculum,in *Hispaniam* mittebat. Qui citiùs in *Angliam* non rediverat,quàm à *Philippo* etiam ELIZABETHAE legatus adesset ad fœdus renovandum, quo *Angli* & familia *Burgundica* sese pridèm constrinxerant; nec non multi alij nuncij (inter quos fuit Ducis *Albani* Commendatarius) hùc è *Belgiâ* mitterentur,qui amantissimè à Reginâ nostrâ excepti, responsa non alia quàm ipsi optabant, ad *Philippi* præfectos semper retulerunt. Hen.Cov.

Præterea, cum ELIZABETHAM ad tumultuum *Belgicorum* pacificationem non solùm suæ tranquillitatis cura(Nam illis admodùm vicini sumus) sed vetus amor etiam, quo cum *Anglis* conjungebantur, plurimùm incitaret,sedulò quidem,nec sine multis impensis rem inter Regem & eos componere studebat. Et hoc animo inter alios virum,ut aliàs prudentem,sic harum controversiarum peritissimum *Iohannem Wilksaum* in *Hispaniam* misit.Cujus nuncius cum nihil apud *Philippum* obtinuisset, *Hispanico* legato, qui tùm in Angliâ fuit,significavit se omnes,quas noverat Wilksæum.

hujus

hujus pacis vias attentasse, sed nullâ profecisse: non levi timore percelli, nè hi Regis sui conatus provinciarum incolas salutis omni tandem spe destitutos ad *Gallum* accersendum impellerent, atque ità *Angliam* si non hostibus, at tamen amicis non ità fidis circundarent. Quamobrem jam postremò omnium honorificam aliquam legationem ad *Iohannem Austriacum* se meditari dixit, quâ illum vel ad pacem flecteret, vel saltem certiorem faceret se tantum suarum rerum discrimen diutiùs sustinere non posse, & potiùs auxilium ad provinciales missuram, quàm passuram, ut illi ad *Anglorum* tam insigne præjudicium cum *Gallo* se copularent. Ad hoc etiam negotium dicto *Wilksæo* utitur, qui apud Ducem nihilo plus, quàm priùs apud ipsum Regem, assequitur. *Belgæ* magis quotidiè oppressi, *Gallum* omnibus modis ad se pelliciunt. ELIZABETHA in tanta pacis desperatione non sic frangitur, quin adhùc illustrissimum sapientissimumque Dominum *Cobhamiensem*, & *Franciscum Walsinghamum* sibi à secretis equitem auratum conjunctim ad *Austriacum* & Provinciales legaverit, eisque in mandatis dederit, ut eos, si fieri posset, ad pacem pertraherent; sin non posset, at tamen Gallo ingressum in *Belgiam* intercluderent. Hoc legati strenuissimè quidem nitebantur, sed nec pacem eis persuadere potuerunt, nec *Belgas* à Gallo prorsus avertere. Hoc tamen apud hos assecuti sunt, ut nulla provinciarum pars ab *Hispano* ad *Gallum* alienaretur, utcunque *Gallum* ad *Hispanorum* crudelitatem retardandam cohibendamque accersere certissimum jam haberent.

om Cobh. Franc. Walsinghamus.

Quid multa? *Franciscus Valesius* ad hoc eligitur, ille ingres-

ingressum quærebat quàm potuit tutissimũ, atq; igitur ELIZABETHAM flagitat, ut suâ bona cũ venia in *Angliam* primùm veniat, & hinc in *Belgiam* transmittat. Quid illa jam faceret? *Valesium* provincias illas suum in patrocinium suscepisse intelligit, atque expeditionem ad illas decrevisse: hoc dolet, sed impedire non potest. Sola electio illi nunc superest, utrùm Gallum, quem regno suo propinquiorem futurum videt, quàm cuperet, aliquo amicitiæ officio promereri, an postulatis pernegandis offensionem ejus subire vellet. Certè cùm nec à *Belgis* nec *Philippo* impetraverit, ut illius introitum præpediret, nunc si pacem subditorumque suorum tranquillitatem amet, quemadmodum semper amavit, necessitate cogitur sic se gerere, ut eum postquàm provincias illas tenuerit, sibi quàm possit, pacatum & benevolum reddat. Iter ergò huic duci per *Angliam* concedit. Illi licet res fæliciter non succederent, uti nostis, *Belgæ* tamen post eum fugatum non desciverunt à *Gallo*, sed potiùs sui gubernationem ad eum, aliter atque ELIZABETHAE priùs receperant, transferendam censuerunt. Hoc nullo modo ferendum Regina nostra duxit: ipsa igitur ijs, tot præsertim injurijs præter pactum atque jusiurandum *Philippi* læsis & afflictis potiùs quadam tenùs subveniendum duxit, quàm res suas in tam apertum discrimen præcipitandas: Sic tamen, ut summam eorum potestatem aut protectionem, quarum utraq; oblata fuit, nullo modo assumeret, nè quicquam *Philippo* eriperet quod suum esset, sed tantùm eos in recuperando suo jure adjuvaret, quod Hispanorum fastu atque tyrannide tantoperè labefactatum, quantocunq; suo sanguine redimere constituerant.

Sed

Sed interrogantem acutum hunc disputatorem mihi audire videor, cur *Robertus Lecestriæ* comes, *Majestatis Angliæ vicarium, gubernatorem, ducemque supremum confœderatarum* Belgicæ *provinciarum &c.* se appellaverit? Respondeo, æstu quôdam suo, hoc illum fecisse, tamque acrem principis offensionem propter hoc incurrisse, ut licèt aliàs maximâ apud illam autoritate esset, eam tamen ad hujus sui facti comprobationem nunquam pertrahere potuerit. Et quamvìs ex possessione duorum oppidorum munitissimorum maximam earum provinciarum perpetuò sibi retinẽdarum opportunitatem se sciret esse nactam: nihilominùs rectoribus (quos *status* vocant) illa restituit, nec citiùs spem aliquam pacis cum *Philippo* concipit, quàm legatos suos ad eam rem satis instructos, ad *Parmensem* mitteret, eandemque cupere omnibus modis se ostenderet. Ejus autem legati, cum ad loca huic negocio præstituta accederent, diploma suum ostendunt, at nullum apud *Hispanos* inveniunt: aliquot menses nugis, nescio quibus, transmissos attendunt, & interìm classem illam *Hispanicam*, cujus pondere contremuit Oceanus, strepitu cæli repleti sunt, quamque invincibilem ipsi appellabant, versùs *Angliam* properare audiunt. Quod stratagema quàm *Philippo* dedecorosum, quamque ipsi *Deo* odiosum, turpis eventus optimè indicavit.

Videtis igitur ELIZABETHA quàm ingenuè & amantèr erga *Philippum* semper se gessit, fœdus cum illo initum quàm religiosè conservavit, conatibus ejus erga vicinos nobis *Belgas* injustissimis, suæq; Reip. periculosissimis, quàm tardè & invitè se opposuit. Nunc si placet, *Philippi* ergà eam facta paucissimis examinare

statutum

statutum est, ut intelligatis, hic pessimus calumniator quàm nullam causam tot effrænatarum vociferationum habuerit, quotq; non tàm impuris quàm iniquis falsisq; contumelijs Reginam hanc magnificam, piam, innocentem, candidissimamq; violaverit.

Multos olim habebamus *Anglos* scabie illâ Pontificiâ sic infectos, ut, post susceptum ab ELIZABETHA imperium, papismi ab *Angliâ* exilium nullo modo sustinuerint, sed conscientiæ religionisq; colore in partes transmarinas, & præsertim *Hispaniam* clàm se subduxerint. Hos non solùm optimo splendidissimoq; hospitio excepit *Philippus* (nàm illud non ità inhumanum, aut illi invidiosum fuisset) sed multa contrà Reginam suam nativumq; regnum machinantes tàm pecunijs quàm consilio adjuvit atq; fovit. *Anglos* non paucos solius mercaturæ causâ *Hispaniam* accedentes, in sacram (quam illic vocant) domum solâ conscientiæ causâ pertraxit, eosq;, quòd missam frequentare recusârunt, non corporibus solùm crudelissimè afflixit, sed bonis etiam omnibus nequissimè spoliavit. Quod Regi quàm turpe sit, in amicos, eosq;, quibuscum datâ fide publicè commercium exercet, ut nos taceamus, ipsum jus Gentium, & communis ratio clamitat. Libentèr audirem *Hispanum* aliquem, qui, commercio eis nobiscum intercedente, ad rerum nostrarum mercaturam *Angliam* appulit, conquerentem, se duriùs ob religionis causam tractatum, aut à Iudice aliquo interpellatum. Non autèm *Angli* solùm, sed & omnes ubique Christiani, Iudæis, Mahometistis, reliquisq; quicunque per orbem terrarũ dispersi sunt, ethnicis, commercij securitate semel datâ, sectam suam liberam patiuntur, silentiumq; ad summum imponunt, fidei aut dogmatis

Phil. jus. gent. prolat.

rationem nunquàm interrogare, multò minùs tormentis exprimere conantur.

Sed tolerabilius fuisset *Philippi* odium, si *Hispaniæ* terminis circumscriptum fuisset, & subditorum aliquot jacturâ satiatum: *Angliam, Angliam* ipsam non pertigit solùm, sed etiam peragravit, & cùm ipsi Reginæ nostræ internecionem, tum etiam Regno vastitatem & solitudinem designavit. Non dubito, quin de Bullâ illâ *Pij* quinti audiveritis, quâ ELIZABETHAM à Christianorum cœtu extorrem fecit, subditos suos ab omni ergà illam pietate & officio immunes constituit, immò quidem omnes eodem excommunicationis laqueo complexus est, qui ejus fidem & clientelam non omninò desererent.

Hic *Philippus*, quòd fœdere inter eum & ELIZABETHAM adhùc consistente & integro, non solùm consensum suum, sed & auxilium, Aquilonares illos comites *Northumberlandensem* & *Westmerlandensem* ad rebellionem incitando, præstiterit existimationem suam & candorem, qui in Rege saltèm Christiano esse debet, pessimè læsit. Cujus rei testem non nostratem aliquem, sed *Italum* illum proferimus, qui librum de *Pij* quinti vitâ *Romæ* anno salutis humanæ 1587. excusum conscripsit.

Northumber. Westmerlan.

Profusissimum prætereà nepotem illum & desperatissimum ferè omnium qui unquàm fuerunt, prædonem atque perfugam *Stukelæum*, qui locupletissimo apud nos patrimonio dissipato, & ingenti ære alieno contracto, ad piraticam primò, deindè Pontificis amicitiam cum ganeonum colluvie nescio qua transivit atque devolavit, *Philippus* in intimis habuit, ab eoq; & alijs perduellibus *Hibernicis* didicit, quâ potissimùm

Stukelæus.

tissimùm *Hispani* illi & *Itali*, quos ad intercipiendam ELIZABETHAE *Hyberniam* anno 1584 Pontifex misit, eam insulam invaderent, cumq; ejus terræ conjuratoribus commodissimè se conjungerent.

Istis quid ni etiam adjungamus omnia illa facinora suorum Legatorum, reliquorumq; ministrorum, quibus intestinum & suum & ipsius Regis in ELIZABETHAM *Angliamq́*, odium apertissimè prodiderunt? *Guaras*, quandò apud nos legationem obivit, cum *Mariæ Scotorum* assectis ad Reginam nostram interficiendam & Rempublicam pervastandam conspiravit. *Iohannes Austriacus* cum comite *Westmerlandiæ* calamitatem nobis sedulò machinabatur. Vniversi paritèr *Hispaniæ* consiliarij regnum nostrum hostilitèr invadendum statuerunt, sed an proximâ viâ, an primò per *Hyberniam*, multùm hæsitabant. Legatus deniq; ille, vel impostor potiùs *Bernardinus Mendoza* non solùm perduellione cujusdam *Throgmortoni* se contaminavit, quem classem *Ibericam* ad nos introducere voluisse certo certius est, sed multis etiam alijs perfidijs scelestisque designationibus, quas legatum contrà eam struxisse, cujus amicitiam & senserat, & non levitèr Regis sui nomine desiderasse videbatur, minimè decuit.

Guaras.

Ioh. Austriac. cum Westmerlanden.

Bernard. Mendoza cum Throg.

Vt autèm dolos suos tantò faciliùs ad effectum perduceret, insulæ nostræ conditionem, subditorum affectiones, portuum capacitates curiosissimè exploravit. Hæc autem non rumusculis aut conjecturis levioribus aucupati sumus, sed obsignatis tabulis, & ipsorum ministrorum, qui hæc perpetrarunt, literis comperta tenemus & apertissimè deprehensa.

Hæc quantam malitiam arguunt, intelligitis, sed tamē *Philippo* non satisfecerunt. Cùm dolos suos omnes interverti perspiceret, apertè rē suscipiendam putat. Atq; igitur ultimò omniū classem illam horrificam, de quâ modò locuti sumus, extruxit, nobisq; adhuc pacis spe suspensis, sic emisit, ut portus ferè nostros priùs occuparet, quàm nos quid vellet, suspicari possemus. Inauditos apparatus, quibus hanc expeditionem instituit, quis satis pro dignitate declarare potest, cùm nemo sit omnium qui similes viderit? Sed omnes, quicunq; fuerunt, reciderunt in nihilum: *Deus* ille καρδιογνώστης simplicitatis nostræ & innocentiæ miseratione permotus, tàm insidiosis ejus conatibus sine nostro facto obstitit, immanemq; eum exercitum tantùm nobis commonstravit qualis esset, commonstratum vel fluctibus marinis obruebat, vel miserè quassatum atq; fractum domum quasi collo obduxit & retorsit.

Classis invincibilis.

Cùm *Iurisconsultus* sic perorasset, non peregrinationis atque vitæ magis (inquit *Historiographus*) quàm studiorum commercio & societate, vos videmini conjuncti esse. Difficile est enim dicere, *Iurisconsultus* πολιτικώτερον, an *Politicus* Iurisconsultiorem se præbuerit. Nostram sitim abundè quidèm explevistis. Nunc igitur, vestri etiam rationem habebimus, curamq; ab hac orationis contentione laxabimus.

Finis secundi Dialogi.

DILECTO FILIO HENRICO, CHARISSIMO IN CHRISTO FILII NOSTRI HENRICI Angliæ Regis Illustrissimi Nato illustri; & Dilectæ in Christo filiæ CATHARINAE charissimi etiam in Christo filij nostri FERDINANDI Regis, & charissimæ in Christo filiæ nostræ ELIZABETH, Reginæ Hispaniarum, & Siciliæ, Catholicorum natæ, illustribus, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Sleid. fol. 111.

26. Decemb. 1503

Descript. ex Codice dispensationum: Tenorem convexinus & auximus ex Virnesio.



VLIVS Papa secundus Episcopus, Servus servorum Dei, Dilecto, &c. Dilecte fili, & dilecta in Christo filia, Salutem & Apostolicam benedictionem. Romani Pontificis præcellens autoritas, concessa sibi desuper utitur potestate, prout personarum, negotiorum, & temporis qualitate pensata, id in Domino conspicit salubritèr expedire. Oblatæ nuper nobis pro parte vestrâ, petitionis series continebat: Quòd cùm aliàs tu filia Catharina, & tunc in humanis agens quondam Arthurus charissimi in Christo filij nostri Henrici Angliæ Regis illustris Primogenitus, pro

conservandis pacis & amicitiæ nexibus & fœderibus inter præfatum Angliæ Regem, & charissimum in Christo filium nostrum *Ferdinandum* Regem, & charissimam in Christo filiam nostram Reginam Catholicos Hispaniarum & Siciliæ, ac præfatum Angliæ Regem & Reginam matrimonium per verba legitimè de præsenti contraxissetis, illudque carnali copula forsan consummavissetis: Quià tamen diutiùs *Arthurus*, prole ex hujusmodi matrimonio non susceptâ, decessit, & hujusmodi vinculum pacis & amicitiæ inter præfatos Reges & Reginam ità diutiùs permaneat: Cùm autèm, sicut eadem petitio subjungebat, ad hoc ut firmitèr verisimilitèr non perduraret, nisi etiam illud alio affinitatis vinculo confoveretur & confirmaretur: Ex his & certis alijs de causis consideratis, Matrimonium inter vos per verba legitimè de præsenti contrahere: Sed quià desiderium vestrum in præmissis adimplere non potestis, dispensatione Apostolicâ desuper non obtentâ: Nobis propterea humilitèr supplicari fecistis, ut vobis providere in præmissis de opportunâ dispensationis gratiâ, de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur, qui inter singulos Christi fideles amœnitatem, præsertim inter Catholicos Reges & Principes pacis & concordiæ unitatem vigere intensis desiderijs affectamus, Vos & quemlibet vestrum à quibuscunque excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, Censuris, & Pœnis à jure vel ab homine, quâvis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum duntaxat præsentium consequendum, Harum serie absolventes, & absolutos fore censentes.

sentes. Hujusmodi his & alijs causis animum nostrum moventibus, hujusmodi supplicationibus inclinati, vobiscum ut (impedimento aliquo affinitatis hujusmodi ex præmissis proveniente, ac Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisq; contrarijs nequaquàm obstantibus) matrimonium per verba legitimè de præsenti inter vos contrahere, & in eo postquàm contractum fuerit (etiam si jam forsan) remanere liberè & licitè valeatis, auctoritate Apostolicâ per præsentes dispensamus; & quatenùs forsan jam matrimonium inter vos hactenus de facto publicè vel clãdestinè contraxeritis, ac carnali copula consummaveritis, dispensamus: ac vos & quemlibet vestrum, si contraxistis (ut præfertur) licitè remanere valeatis, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium, de speciali dono gratiæ, ab excessu hujusmodi, & ab excommunicationis sententiâ, quam proptereà incurristis, eâdem auctoritate absolvimus. Ac etiam vobiscum, ut in hujusmodi matrimonio sic de facto contracto remanere, seu illud de novo inter vos contrahere, liberè & licitè valeatis. Similitèr dispensamus, prolẽ ex hujusmodi matrimonio, sive contracto sivè contrahendo, susceptam vel suscipiendã legitimam decernentes. Volumus autem, quòd si hujusmodi matrimonium de facto cõtraxistis, ut Confessor per vos & quemlibet vestrum eligendus, pœnitentiam salutarem proptereà vobis injungat, quam adimplere teneamini. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, dispensationis, & voluntatis infirmare, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autèm hoc præsumpserit, indignitatem Omnipotentis Dei, ac beatorum *Petri* & *Pauli* Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Dat. *Romæ*

 apud

apud Sanctum *Petrum* sub annulo Piscatoris. 7. Kalend. Ianuarij. Anno Incarnationis Dominicæ. 1503. Pontificatus nostri Anno primo.

Sigismundus signavit: & in tergi margine affixus erat Piscatoris annulus.

BVLLA CLEMENtis Septimi, concessa Henrico Octavo, de secundis nuptijs contrahendis, *constante nullitate primi Matrimonij.*



LEMENS Episcopus, Servus servorum Dei, charissimo in Christo filio nostro *Henrico Angliæ* Regi illustri, fidei defensori, salutem & Apostolicam benedictionem. Exponi nobis nuper fecisti: Quòd aliàs tu & dilecta in Christo filia *Catharinam*, relicta quondam Arthuri fratris tui germani, non ignorantes vos primo affinitatis gradu invicem fore conjunctos, matrimonium per verba aliàs legitima de præsenti, nulla saltèm Canonica seu valida dispensatione desuper obtenta, quamvis de facto contraxistis, illudque carnali copula confirmastis, ac prolem ex ejusmodi matrimonio suscepistis, Excommunicationis sententiam incurrendo. Et cùm Majestas tua in hujusmodi matrimonio absq;

peccato

peccato remanere nequeat, & ne diutiùs in huiusmodi peccato, & excommunicationis sententia remaneat, desideret ab hujusmodi excommunicationis Sententia, à Iudice ecclesiastico competente Absolutionis beneficium obtinere, ac Matrimonium ipsum nullum & invalidum fuisse, tibique licere cum quacunque alia muliere (alio non obstante Canone) Matrimonium contrahere declarari, Et in eventum declarationis nullitatis Matrimonij hujusmodi tecũ dispensari, vt cũ quacunq; alia muliere, etiamsi illa talis sit, quæ aliàs cum alio matrimonium contraxerit, dummodo illud carnali copula non consummaverit, etiãsi tibi aliàs secundo vel remotiori consanguinitatis, aut primo affinitatis gradu ex quocunque licito seu illicito coitu conjuncta (dummodò Relicta dicti fratris tui non fuerit) ac etiamsi cognatione spirituali vel legali tibi conjuncta extiterit, & impedimentum publicæ honestatis Iusticiæ subsistat, Matrimonium licitè contrahere & in eo liberè remanere, & ex eo prolem legitimam suscipere possis. Quare pro parte tui asserentis ex antiquis Chronicis Regni constare, in ipso regno quam plurima gravissima bella sæpè exacta, & Christianam pacem & concordiam violatam fuisse, propter impios homines, sua detestanda & regnandi & dominandi libidine excitatos, confingentes ex justis & legitimis quorundam Progenitorum & Antecessorum tuorum Angliæ Regum nuptijs procreatos, illegitimos fore propter aliquod consanguinitatis vel affinitatis confictum impedimentum, & propterea inhabiles esse ad regni successionem, indeque miserandam Principum & procerum & populorum subditorum stragem sequutam fuisse: Nobis fuit humiliter supplicatum, vt regni tui tuorum-

que

que subditorum tranquillitati & paci imprimis consulere, & tantis malis obviare, ac aliàs in præmissis oportuna remedia adhibere, de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos, qui omnium Regum, præsertim Majestatis tuæ, ob ejus quàm plurima immensa in nos & hanc Sanctam Sedem, in qua permissione divinâ sedemus, collata beneficia, dum ab iniquissimis pestilentissimorum hominum conatibus, qui eam partim viribus & sceleratâ audaciâ, partim perversâ doctrinâ labefactare moliebantur, strenuissimè cùm viribus & gladio, tùm calamo & eruditione vindicare indies non cessat, petitiones (præsertim salutem animarum concernentes) quantum cum Deo possumus, ad exauditionis gratiam admittimus, eorum honestis votis favorabiliter annuimus. Ex præmissis & nonnullis alijs caussis nobis notis, hujusmodi supplicationibus inclinati; tecum, vt si contingat Matrimonium cum præfata *Catherina* aliàs contractum, nullum fuisse & esse declarari, teque ab illius Vinculo legitimè absolvi, cum quacunque muliere, ipsaque mulier tecum, dum modò à te propter hoc rapta non fuerit, etiamsi Mulier ipsa talis sit, quæ priùs cum alio Matrimonium contraxerit, dummodò illud carnali copula non fuerit consummatum, etiamsi illa tibi aliàs secundo aut remotiori consanguinitatis, aut primo affinitatis gradu, etiam ex quocunque licito vel illicito coitu proveniente invicem conjuncta; (dummodo Relicta fratris tui non fuerit, vt præfertur) etiamsi cognationis spiritualis aut legalis, & publicè hone-

honestatis Iusticiæ impedimentum subsistat, & tibi conjuncta existat, Matrimonium licitè contrahere, & postquàm contractum fuerit, in eo sic contracto, etiamsi illud inter te & ipsam mulierem, cum de facto publicè vel clandestinè contractum & carnali copula consummatum fuerit, licitè remanere valeatis, Auctoritate Apostolicâ & ex certa nostra scientia, & de Apostolicæ pietatis plenitudine, tenore præsentium, dispensamus; prolem inde forsan susceptam & suscipiendam legitimam fore decernendo: Non obstantibus prohibitionibus Iuris divini, ac constitutionibus & Ordinationibus alijs quibuscunque in contrarium æditis, quibus (in quantum Apostolica Autoritas se extendit) illis aliàs in suo robore permansuris, quoad hoc specialiter & expressè derogamus: districtiùs inhibentes in virtute sanctæ obedientiæ, & expressè mandantes sub interminationibus divini iudicij, ac sub pæna Anathematis, alijsque ecclesiasticis sententijs, censuris & pænis, quas ex nunc prout ex tunc, & è converso, ferimus & promulgamus in his scriptis, Ne quisquam in posterum vllum impedimentum præcontractus Matrimonialis non consummati, consanguinitatis in secundo aut vlteriori gradu, affinitatis primo, vt præfertur; cognationis spiritualis aut legalis, seu justiciæ publicæ honestatis impediment. prædict. adversos liberos tuos, quos ex quocunque Matrimonio vigore præsentium contrahendo, Dei benignitate susceperis palàm vel occultè, in judicio vel extra, illud allegare, proponere, aut abijcere, seu verbo vel facto diffamare

præsu-

præſumat, aut quocunque modo attentet. Nulli ergò hominum liceat hanc paginam noſtræ diſpenſationis, decreti, derogationis, inhibitionis, & Mandati infringere, vel ei auſu temerario contrà ire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, Indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Dat. in Civitate noſtra Vrbe veteri. Anno incarnationis Dominicæ 1527 16. *Kal. Januar*. Pontificatus noſtri *Anno Quint*.

CENSVRAE DIVERSARVM ACADEMIARVM DE coniugio leviri cum sua fratria.

AC PRIMVM

CENSVRA ALMÆ VNIVERSItatis Aurelianensis.



VM abhinc aliquod tempus nobis Collegio Doctorum Regentium almæ vniversitatis Aurelianensis propositæ fuerint, quæ sequuntur, quæstiones, videlicet, *Si jure divino liceat fratri relictam fratris* (*quam* fratriam *vocant*) *accipere vxorem*. Item & *si hoc sit eo jure vetitum, vtrùm divinæ legis prohibitio pontificali dispensatione remitti possit*: Nos prædictum Collegium post multas ad prædictorum dubiorum disputationem (de more nostro) factas sessiones & congregationes, postq; juris tùm diuini, tùm Canonici locos (quoad facere potuimus) examinatos, & omnibus maturè, atq; exactè pensatis, & consideratis: definivimus prædictas nuptias citra divinæ legis injuriam attentari non posse, etiamsi summi pontificis accedat indulgentia, vel permissus. In cujus rei testimonium præ-

præsens publicum instrumentum à scriba præfatæ almæ Vniversitatis subsignari fecimus, ejusdemque sigillo communiri. Actum in sacello beatæ Mariæ Boninuncij Aurelianensis. Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo nono, die quinto mensis *Aprilis*.

CENSVRA FACVLTATIS *DECRETORVM ALMAE Vniversitatis Parisiensis.*



N nomine Domini *Amen*. Cum proposita fuisset coràm nobis Decano & Collegio cõsultissimæ facultatis decretorum Parisiensis vniversitatis quæstio: *An papa possit dispensare, quòd frater possit in vxorem ducere, sive accipere relictam fratris sui matrimonio consummato per fratrem præmortuum*: nos Decanus & Collegium præfatæ facultatis, post multas disputationes & argumenta hinc inde super hac materiâ facta, ac habita, cum magna & longa librorum tàm divini, quàm pontificij & civilis jurium revolutione, consulimus, & dicimus, papam non posse in facto proposito dispensare. In cujus rei testimonium, has præsentes sigillo nostræ facultatis, & signo nostri scribæ primi Bedelli muniri fecimus. Datum in congregatione nostra apud Sanctum Iohannem Lateranensem, Parisijs die vicesima tertia mensis *Maij*, anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo.

CEN-

CENSVRA FACVLTATVM IVRIS PONTIficij & legum almæ Vniversitatis Andegavensis.



VM certo abhinc tempore nobis Rectori & Doctoribus Regentibus in pontificia, & legum disciplina almæ vniversitatis Andegavensis sequentes quæstiones propositæ fuerint, scilicet; *Vtrùm jure divino paritèr, & naturali illicitum sit homini Christiano relictam fratris sui, etiam absque liberis, sed matrimonio jam consummato defuncti ducere vxorem*: Et *an summo pontifici liceat super hujusmodi nuptijs dispensare*: Nos præfati Rector & Doctores, post plures ad disputationem hujusmodi quæstionum, & veritatem comperiendam factas, ex more, congregationes & sessiones, postque varios juris tàm divini, quàm humani locos, qui ad eam rem pertinere videbantur, discussos, multas quoque rationes in vtramque partem adductas, & examinatas, omnibus fideliter consideratis, & maturâ deliberatione præhabitâ: definimus neque divino, neque naturali jure permitti homini Christiano, etiam cum sedis Apostolicæ authoritate, seu dispensatione super hoc adhibitâ, relictam fratris, qui etiam sine liberis post

post consummatum matrimonium decesserit, vxorem accipere, vel habere. In quorum omnium supradictorum fidem, præsens publicum instrumentum a scriba seu notario præfatæ almæ Vniversitatis subsignari jussimus, ejusdemque Vniversitatis magno sigillo muniri. Actum in æde sacra Divi *Petri* Andegavens. In Collegio nostro. Anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo, die septimo mensis *Maij*.

CENSVRA FACVLTATIS *SACRAE THEOlogiæ* Almæ Vniversitatis *Parisiensis*.



DECANVS & facultas Sacræ Theologiæ almæ vniversitatis Parisiensis, omnibus, ad quos præsens scriptum pervenerit, salutem in eo, qui est vera Salus. Cùm nupèr suborta magnæ difficultatis controversia super invaliditate matrimonij, inter serenissimum *Henricum* octavum *Angliæ* regem, fidei defensorem, & Dominum *Hiberniæ*, ac illustrissimam dominam *Catharinam* Angliæ reginam, claræ memoriæ Ferdinandi regis catholici filiam contracti, & carnali copulâ consummati, illa etiam nobis quæstio in justitia & veritate discutienda, & examinanda proposita fuerat, videlicèt: *An ducere relictam fratris mortui sine liberis sic esset jure divino & naturali prohibitum, ut inter-*

interveniente summi Pontificis dispensatione, non possit fieri licitum, ut quis Christianus relictam fratris ducat, & habeat in uxorem. Nos Decanus & facultas antedicta, cogitantes, quàm esset pium & sanctum, necnòn debito charitatis, & nostræ professioni consentaneum, ut his, qui in lege Domini securâ, tranquillâque conscientiâ vitam hanc ducere, & transigere cupiant, viam justitiæ ostenderemus: noluimus tàm justis & pijs votis deesse. Hinc more solito, apud ædem S. *Mathurini* per juramentum convenientes, & solemni missâ cum invocatione Spiritus Sancti ob hoc celebratâ, necnòn præstito juramento de deliberando super præfatâ quæstione, secundum Deum & conscientiam; Post varias & multiplices Sessiones, tàm apud ædem S. *Mathurini*, quàm apud Collegium *Sorbonæ*, ab octavâ Iunij usquè ad secundam Iulij habitas, & continuatas, perscrutatis priùs, excussisq; quàm diligentissimè, ac eâ, quâ decuit, reverentiâ & religione sacræ Scripturæ libris, eorumque probatissimis interpretibus, necnòn Sacrosanctæ Ecclesiæ generalibus, ac synodalibus concilij decretis, & Constitutionibus longo usu receptis & approbatis: Nos prædicti Decanus & facultas de prædictâ quæstione differentes, & ad eam respondentes, sequentes unanime judicium, & consensum majoris partis totius facultatis asseruimus, & determinavimus, prout & in his scriptis per præsentes asserimus, & determinamus, quòd prædictæ nuptiæ cum relictis fratrum decedentium sine liberis, sic naturali jure paritèr & divino sunt prohibitæ, ut super talibus matrimonijs contractis, sive contrahendis summus Pontifex dispensare non possit. In cujus

nostræ assertionis & determinationis fidem, & testimonium sigillum nostræ facultatis cum signo nostri Notarij, seu Bedelli præsentibus apponi curavimus. Datum in generali nostrâ congregatione per juramentum celebratâ apud Sanctum *Mathurinum*. Anno Domini Millesimo quingentesimo trigesimo, mensis verò Iulij die 2.

Censura



Censura almæ Universitatis Bituricensis.



NOS cum Decano Theologiæ facultas in Vniversitate *Bituricensi*, (ut Doctoris Gentium *Pauli* exemplo plerisque locis auspicemur scriptum nostrum à precatione) omnibus dilectis Dei, in quibus vocati estis, Lectores charissimi, quique ad quos scribimus, gratia vobis & pax à Deo Patre, & Domino nostro Iesu Christo. Dum complerentur dies inter Octavas Pentecostes, & essemus omnes paritèr in eodem loco, corpore & animo congregati, sedentesque in domo dicti Decani; facta est nobis rursus quæstio eadem, quæ sæpiùs anteà, non quidèm parva, hunc in modum. *An rem faciat illicitam, necnè, frater accipiens uxorem à præmortuo fratre relictam, consummato etiam matrimonio.* Tandem rei ipsius veritate disquisitâ, & perspectâ multo singulorum labore, & sacrorum iterata atq; iterata revolutione codicum: unusquisq; nostrũ non fascinatus, quò minùs veritati obediret, cœpit, prout spiritus sanctus dedit, suum hoc unum arbitrium eloqui absq; personarum acceptione in veritate comperi, personas memoratas in capite Levitici 8. supra decimum prohibitas esse jure ipso naturali, authoritate humanâ minimè relaxabili, & vetitas nè invicem matrimonium contrahãt, quo fit fraternæ turpitudinis abhominabilis revelatio. Et hoc nobis signum nostri Bedelli notarij publici, cum sigillo dictæ supra nostræ facultatis

præsentibus appenso. Die decimo Iunij. Anno verò à Christi nativitate, Millesimo, quingentesimo, tricesimo. Vt autem nostræ scriptionis pes & caput uni reddantur formæ, quemadmodùm sumus auspicati à precatione, ità claudamus, illius, quo utimur, exemplo. Gratia Domini nostri Iesu Christi, charitas Dei, & Communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen.

**
*



CENSVRA FACVLTATIS SACRAE THE-ologiæ universitatis Bo-niensis.



VM Deus Opt. Max. veterem legem nedùm ad morum vitæque informationem, ac institutionem ore suo tradiderit, idemque humanitate sumptâ, mortalium redemptor Deus novum condiderit Testamentum, sed ad dubia, quæ in multis emergebant, tollenda declarandaque contulerit, quæ ad hominum perfectionem elucidata nonnihil conferunt: nostras partes semper fore duximus, hujusmodi sanctissima patris æterni documenta sectari, & in rebus arduis ac dubitabilibus, superno illustratos lumine, nostram ferre sententiam, ubi causa maturè consulta, multisq; hinc indè rationibus, scriptisq; patrum dilucidata fuerit, nihil, quoad possumus, in aliquo temerè ferentes. Cùm itaq; nos præstantes quidam & clarissimi viri obnixè rogarint, ut subsequentem casum maximâ diligentiâ perscrutaremur, nostrumq; subindè in eum judicium ferremus æquissimè, soli veritati innitentes: in unum omnes almæ Vniversitatis hujus Doctores Theologi convenimus, casu priùs per unumquemque nostrum sigillatim domibus proprijs examinato, summâque solertiâ per dies plurimos contractato. Illud unà mox vidimus, examinavimus, contulimus, ad amussimq; singula quæq; pertractantes ponderavimus, rationes quascunque contrarias, quas fieri posse censuimus, in medium afferentes, atq; solventes, etiam ipsius

reverendissimi D. D. Card. *Caietani*, necnòn Deuteronomicam dispensationem de fratris suscitando semine, & reliquas tandèm omnes sententias oppositas, quæ ad id negotij facere viderentur. Quæsitum est igitur à nobis, *An ex solâ Ecclesiæ institutione, vel etiam jure divino prohibitum fuerit, ne quis relictam à fratre sine liberis in uxorem ducere valeat.* Quod si utrâque lege ne fieri possit, cautum est; *An quenquam possit Beatissimus Pontifex super ejusmodi contrahendo matrimonio dispensare.* Quâ diligentissimè (ut diximus) ac exactissimè scorsim palamque examinatâ ac pro viribus nostris, optimè discussâ quæstione, censemus, judicamus, dicimus, constantissimè testamur, & indubiè affirmamus hujusmodi matrimonium, tales nuptias, tale conjugium horrendum fore, execrabile, detestandum, viroque Christiano, immò etiam cuilibet infideli prorsùs abominabile, esseque à jure naturæ, divino & humano diris pœnis prohibitum. Nec posse sanctissim. Papam (qui tamen ferè omnia potest) cui collatæ sunt à Christo claves regni cœlorum: non, inquam, posse aliquâ ex causâ super hujusmodi contrahendo matrimonio, quenquam dispensare. Ad hujus conclusionis veritatem tutandam, omnes in omnia loca & tempora parati sumus. In quorum fidem has scripsimus, almæque nostræ Universitatis ac sacri venerabilium Theologorum Collegij sigillo munivimus, solitâ nostrâ generali subscriptione signantes. *Bononiæ* in Ecclesiâ Cathedrali, decimâ Iunij. Anno Dominì M. D. X X X. sub Divi *Clementis* 7. Pontificatu.

CEN-

Censura facultatis sacræ Theologiæ almæ Universitatis *Patavienſis.*



ESTATUR, qui Catholicam fidem aſtruunt, *Deum Opt. Max.* legis veteris præcepta filijs *Iſraël* ad exemplar vitæ, ac morum noſtrorum inſtitutionem ore proprio tradidiſſe, eundemq; trabeâ humanitatis indutum, Redemptorem omnium factum, novum Teſtamentum condidiſſe, & nedùm propter hoc, ſed ad dubia quæcunque emergentia removenda, dilucidandaque nobis miſericorditèr condonaſſe: quæ ad noſtri perfectionem enucleata fructus uberes conferunt & ſalutares. Noſtrum ſemper fuit, eritque per ſæcula (uti Chriſticolas decet) hujuſmodi celebratiſsima ſummi Pontificis inſtituta ſectari, & in quibuſq; dubitationibus, ac arduis quæſtionibus ſupernaturali lumine freti, noſtrum proferre judicium, ubi res ipſa optimè conſiderata, multiſque hinc indè demonſtrationibus, atque patrum authoritatibus maturè declarata fuerit, temerè, quoad poſſumus, nihil omninò judicantes. Cùm igitur nos quidam Oratores clariſsimi ſupplicitèr exorarint, ut ſubſequentem caſum diligentiſsimè perſcrutari dignaremur, atque noſtram ferremus exindè ſententiam, ſoli veritati ſimplicitèr attendentes. Quâ ex re omnes hujus almæ Univerſitatis Doctores Theologi in ſimul convenimus, re ipſâ prius per noſtrum quemlibet particularitèr proprijs domibus examinatâ,

 ſummâq;

summâque cum solertiâ enucleatâ, mox in unum redacti, cuncta consideravimus, examinavimus, omniaque sigillatìm ponderavimus: argumenta quæcunque contraria, quæ fieri quoquo modo posse putavimus, adducentes, atque integerrimè dissolventes, necnon *Deuteronomicam* dispensationem *de fratris suscitando semine*, & reliquas omnes rationes atque sententias oppositas, quæ ad id facere videbantur. Quæstio igitur talis fuit exposita, *An ex solâ sanctæ matris Ecclesiæ institutione, vel etiam de jure divino prohibitum fuerit, ne quis relictam fratris absque liberis in uxorem ducere valeat.* Quod si utrobique fieri nequeat, cautum est, *An beatissimus Pontifex super hujusmodi contrahendo Matrimonio quenquam dispensare legitimè possit.* Quo exactissimè (ut dictum est) seorsìm, publicèque discusso, ac pro viribus, dilucidatò quæsito: dicimus, judicamus, decernimus, attestamur, atque veridicè affirmamus, matrimonium hujusmodi, tale conjugium, & tales nuptias nullas esse, immò detestabiles, atque execrandas Christiano cuilibet esse, prophanas, &, ut scelus, abhominandas, crudelissimis pœnis jure naturæ, divino, & humano clarissimè esse prohibitas. Nec beatissimum Pontificem, cui claves Regni cœlestis à Christo Dei filio sunt collatæ, ullâ ex causâ posse super tali matrimonio contrahendo quenquam juridicè dispensare. Cùm illa, quæ sunt à jure divino prohibita, non subsint ejus potestati, nec in illa gerit vicem Dei, sed solùm super ea, quæ sunt commissa jurisdictioni hominum. Ad cujus sententiæ ac conclusionis veritatem tutandam, & ejusdem certissimam defensionem,

nem, nos omnes vnanimes semper & vbique parati sumus. In quorum fidem has nostras fecimus, almæque vniversitatis nostræ, ac sacri reverendorum Theologorum Collegij sigillo solito communivimus. Datum *Paduæ* in Ecclesia Heremitarum S. *Augustini*, die primo *Iulij. M. D.* XXX.

CENSVRA ALMAE VNI- *VERSITATIS THO- losanæ.*



RACTABATVR in nostra Tholosana Academia perquàm difficilis quæstio, *Liceatnè fratri eam, quæ jam olim defuncto fratri vxor fuerat (nullis tamen relictis liberis) in matrimonio sibi conjungere.* Accedebat & alius scrupulus, qui nos potissimùm torquebat, *Si Romanus pont. cui est commissa gregis Christiani cura, id suâ, quam vocamus dispensatione permittat; tunc saltem liceat.* Ad vtramque quæstionem cogitandam Doctores omnes regentes, qui tunc Tholosæ aderant, coegit rector in concilium. Neque id semel tantùm, sed etiam iterùm. Quippe existimans præcipitari non oportere consilia, indigereque nos tempore, vt aliquid maturiùs agamus. Demùm cùm in vnum locum convenissent omnes tùm sacrarum literarum disertissimi interpretes, tùm vtriusque censuræ consultissimi, denique qui quavis in re & judicio & oratione viri fælicibus ingenijs non mediocriter exercitati essent, ac sese sacrosanctis concilijs parere velle, sanctorumque patrum haud quaquam pijs animis violanda decreta imitari jurassent, & vnusquisque suam sententiam protulisset, atque in vtramque partem diffusè decertatum esset: tandem in eam sententiam sic frequentiùs itum est, vt vno omnium ore alma nostra vniversitas

ſitas animis ſinceriſſimis, nulloque fermento vitiatis cenſuerit, jure divino pariter & naturali vxorem relictam fratris ſui nemini licere accipere. At poſtquàm id lege eâdem non licet, reſponſum eſt, non poſſe pont. aliquem ea lege ſolvere. Nec huic ſententiæ refragari poteſt, quòd cogeretur olim frater vxorem demortui fratris accipere. Nam hoc figura erat, atque vmbra futurorum. Quæ omnia, adveniente luce, & veritate Evangelij evanuerunt. Hæc quoniam ita ſe habent, in hanc formam redegimus, & per notarium, qui nobis eſt à ſecretis, ſignari, ſigillique autentici ejuſdem noſtræ almæ vniverſitatis juſſimus appenſione communiri. *Tholoſæ. Kal. Octob. Ann.* à Chriſto nato. *M. D.* XXX.



CLEMENS
P.P. VII.



HRISTI nomine invocato in throno Iusticiæ pro tribunali sedentes, & solum Deum præ oculis habentes, per hanc nostram diffinitivam sententiam, quam de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalium consistorialitèr coram nobis congregatorum consilio & assensu ferimus in his scriptis, Pronunciamus, decernimus, & declaramus in causa & causis, ad nos & Sedem apostolicam per appellationem per charissimam in Christo filiam *Catharinam* Angliæ Reginam illustrem, à nostris & sedis apostolicæ legatis in regno Angliæ deputatis interpositam, legitimè devolutis & euocatis, inter prædictam *Catharinam* Reginam & Charissimum in Christo filium *Henricum* octavum Angliæ Regem illustrem, super validitate Matri-

Matrimonij inter eosdem Reges contracti & consummati, rebusque aliis in actis causæ & causarum hujusmodi latiùs diductis, Et dilecto filio *Paulo Capisucco*, causarum sacri Palatij tùnc Decano, & propter ipsius *Pauli* absentiam, venerabili fratri nostro *Iacobo Simonetæ* episcopo *Pisauriensi*, unius ex dicti *Palatij* causarum Auditoribus locum tenenti, audiendis, instruendis, & in consistorio nostro secreto referendis commissis, & per eos nobis, & eisdem Cardinalibus relatis & maturè discussis, coram nobis pendentibus, Matrimonium inter prædictos *Catharinam* & *Henricum* Angliæ Reges contractum, & inde sequuta quæcunque, fuisse & esse validum & Canonicum, validaque & Canonica, suosque debitos debuisse & debere sortiri effectus; prolemque exinde susceptam & suscipiendam, fuisse & fore legitimam. Et præfatum *Henricum* Angliæ Regem teneri & obligatum fuisse & fore ad cohabitandum cum dictâ *Catharinâ* Reginâ, ejus legitimâ conjuge, illamque maritali affectione & Regio honore tractandam, & eundem *Henricum* Angliæ Regem ad præmissa omnia & singula cum effectu adimplendum, condemnandum, omnibusque juris remediis cogendum & compellendum fore, prout condemnamus, cogimus, & compellimus: Molestationesque & denegationes per eundem *Henricum* Regem eidem *Catharinæ* super invaliditate ac fœdere dicti Matrimonij quomodolibet factas & præstitas, fuisse & esse illicitas & injustas: & eidem *Henrico* Regi super illis ac invaliditate Matrimonij hujusmodi, perpetuum silentium imponendum

dum

dum fore, & imponimus: Eundemque *Henricum* Regem in expenſis in hujuſmodi cauſſa pro parte dictæ *Catharinæ* Reginæ, coram nobis & dictis omnibus legitimè factis, condemnandum fore & condemnamus. Quarum expenſarum taxationem nobis impoſterum reſervamus. Ita pronunciamus.

Lata fuit hæc ſententia diffinitiva Romæ in Palatio Apoſtolico, publicè in Conſiſtorio 23 *Die Martij* 1532.

FINIS.

Errata ſic corrigenda.

Pag. 6. Lin. 4. Katharinam. & p. 6. l. 5 œſtro. p. 7. l. 32. connectantur. p. 11. l. 3. Carolus. & p. 11. l. 4. natalibus. p. 12. l. 32. perſentiſceret. p. 13. l. 21, & 22. natalium. p. 16. l. 15. terreſtris. p. 19. l. 24. omnes. p. 23. l. 13. prætendit. p. 24 l. 24. deſcendimus p. 26. l. 31. rationē. p. 27. l. 4. illam. p. 28. l. 16. habitavit. p. 29. l. 21. ἔχον δύναμιν. p. 30. l. 22. perrumpunt p. 32. l. 14. cardiacus p. 34. l. 13. quin. p. 35. l. 19. legibus ſuis. p. 36. l. 6. προσωποληψίαν. p. 36. l. 7. diffiſſum. p. 41. l. 19. utramque illarum legum. p. 46. l. 7. commiſerint. p. 48. l. 21. vtcunque. p. 50. l. 15. muneris mei. p. 56. l. 16 præcideret. p. 60. l. 21. eos. p. 82. l. 7. nuſquam tolerarunt. p. 83. l. 26. ſciſcitantem. p. 87. l. 29. pertracturos. p. 90. l. 15. rationes p. 91. l. 18. κατὰ. p. 113. l. 25. conjeciſſemus. p. 154 l. 6. vectigal. p. 155. l. 31. vectigalis. p. 162. l. 9. machinantes execror, p. ead. l. 23. Anglorum ſuſtentationem. p. 180. l. 26. obtinuerunt. p. 182. l. 15. conſiliariorum. p. 184. l. 3. *rimaneſſe*. p. 186. l. 29. oſtendebant.